Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

PRODROMUS
ASCETICUS,
RECTO DUCENS TRAMITE
AD SPIRITUALIS VITÆ PERFECTIONEM,
EX
DIVINIS LITTERIS, & SS. PP.
ALIORUMQUE DOCTORUM ERUTUS MONIMENTIS,
OPERA & STUDIO
P. EMERICI PAVICH
à BUDA,
Lect. Jub. & Ex-Diffinit. Ord. Min.
Regul. Obſerv. Prov. S. Joannis
à Capiſtrauo.

BUDÆ ANNO 1767.
Cum Facultate Superiorum.

BUDÆ,
Typis Leopoldi Franciſci Landerer.

zkvb.org.rs

B i 1 RII - 16° -

Libellus agricol
Electricus P. Pom
Franc. Cone.
Maria Theresiopol
Tamy. 1782.

F Fhin
1552

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

KNJIŽNICA FRANJEVAČKOG SAMOSTANA
SUBOTICA

zkvh.org.rs

B 1 1

BENEVOLO LECTORI.

SEraphici Inſtituti expoſcente ratione, quâ ad perfectionem tendere, & Dei gloriam cùm in nobis, tùm in aliis, quam maximè jubemur promovere, quæ quidem Inſtituti ratio ex illo Salvatoris noſtri dicto: (a) *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt,* promanare videtur, conatus ſum & ego quandam ſacræ Aſceſeos Iſagogen, ſeu introductionem ad ſpiritualis vitæ perfectionem ducentem ex Divinæ Scripturæ rivulis, & SS. PP. aliorumque Doctorum monimentis, pro meo & proximorum profectu concinnare. Et quia introductio hæc

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ſummam fundamentalium ſacræ Aſ-ceſeos materiarum attingit, titulô Prodromi Aſcetici eandem inſigni-re, tecumque communicare conſti-tui. Utere proinde Amice Lector, mei piis in operationibus memor.

(a) Matth. 5. v. 48.

Non enim rectè curritur : ſi quo cur-rendum eſt, neſciatur : quomodo ergo ſci-retur, ſi nullis præceptis oſtenderetur ? S. Auguſt. Lib. de perfect.

zkvh.org.rs

CA-

CAPUT I.

Deus ex creaturis cognoscendus.

1. (a) SIcut nullum est momentum, quô homo non utatur, vel fruatur DEI bonitate, & misericordiâ, sic nullum debet esse momentum, quô eum præsentem non habeat in memoria. Omne enim tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te reputa perdidisse. Verba sunt *Hugonis à S. Victore.* Proinde, ut per humilem nostri dejectionem, ad cognitionem Conditoris rerum Omnium per ipsas, quas condidit

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

didit creaturas, aſpiremus, eumque ſupremô cultu, ac ſummâ religione veneremur, Doctrinæ Sacratioris Eruditiſſimi ſunt conſulendi. Qua in re patientiſſimus *Jobus* ducatu præit, dum ait: (b) *Nimirum interroga jumenta & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi: Et narrabunt, piſces maris.* Cui conſonat illud Sapientis: (c) *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Beatus autem Paulus Romanos inſtruens, ſic loquitur: (d) *Inviſibilia ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

2. *Divus Auguſtinus* id ipſum animo agitans, (e) *Circuivi* inquit, *vicos & plateas civitatis hujus mundi, quærens te, & non inveni, quia malè quærebam foris, quod erat intus, Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longe à te, quæ eſſe non poterant niſi in te. Circuibam enim omnia,*

quæ-

quærens te, & propter omnia derelinquens me. Interrogavi terram, si esset Deus meus. Interrogavi mare, & abyssos. Interrogavi stabilem aerem. Interrogavi Cælum, solem, Lunam, & stellas. Et clamaverunt omnes voce grandi: Ipse fecit nos. Interrogavi deinde mundi molem: Dic mihi, si es Deus meus; an non? Et respondit voce forti: Non sum ego, sed per ipsum sum ego, quem quæris in me, ipse fecit me. Interrogatio creaturarum profunda, est consideratio ipsarum, responsio earum, attestatio illarum de Deo, quoniam omnia clamant, Deus nos fecit. Erat tempus, quando non cognoscebam te: væ tempori illi, quando non videbam te: Væ surditati illi, quando non audiebam te. Cæcus & surdus per formosa, quæ fecisti, deformis irruebam. Illuminasti me Lux mundi, & vidi te, & amavi; nemo te amat, nisi qui te videt, & nemo te videt, nisi qui te amat.

3. *S. Gregorius* eruditè idipsum

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

confirmat, dicens. (f) *Vestigia quippe Creatoris Nostri, sunt mira opera visibilis creaturæ. Ipsum namque adhuc videre non possumus, sed jam ad ejus visionem tendimus, si eum in bis, quæ fecit, miramur. Ejus ergo vestigia creaturam dicimus: quia per hæc, quæ ab ipso sunt, sequendo, imus ad ipsum. Ita miro modo ipsis formis exterioribus nos ad interiora perducit. Innuit immensa admiratione, quod est: mira hæc exterius Ostendendo, quæ non est .... Quia enim ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est, ut ad invisibilia ipsis rursum visibilibus innitamur, ut quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa; atque eisdem, quibus corruit, passibus surgat, dum illa nos ad Deum benè considerata revocant, quæ nos ab eo male electa diviserunt. Ipsis enim rebus creatis atque corporeis agnoscimus, quantum à Creatoris nostri sublimitate distamus, quia per omne, quod cernimus, esse humiles admonemur; ut*

qua-

quasi quædam sit electio mentis nostræ, species considerata creaturæ.

4. Prædicta roborat *S. Bernardus* ita differens : (g) *Opus habet humana anima velut quodam vehiculo creaturâ, ut ad cognitionem Creatoris assurgat; cum è contra longe beatius perfectiusque Angelica natura in Creatore notitiam habeat creaturæ.* Proinde, quemadmodum Deus est speculum, in quo relucent creaturæ, ita è converso in via creaturæ sunt speculum, in quo earundem Creator enitescit. Etenim si quis ante speculum consistat, & ab illius tergo alius, cujus solum vultum in speculo cernat alter, quamvis ipsum hominem non videat : si eum tamen aliàs viderit, aut noverit, dicet : Hic ipsissimus est, quem vidi, aut novi. Ita nos olim in Cœlo pronunciabimus : Hic ille nostrûm omnium est Conditor, quem etiamnum mortales in rebus conditis spectavimus. Adhuc quidem per speculum

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

in ænigmate, velô tamen amotô per Evangelii doctrinam. Hinc olim fatebimur illum ipſum Deum, quem pleniſſimè viſuri ſumus, jam ante in rebus conditis, ſed longè obſcuriùs à nobis fuiſſe viſum.

(h) Speculo mox expoſito, Beatus *Antonius*, totque alii viri ſanctiſſimi ſunt uſi. Antonium Philoſophus interrogans: Et quomodo, inquit, mi ſenex fallis tempus, cùm careas libris, qui omne tædium moroſi temporis levant? ſine libris eſſe, eſt inter mortuos agere, & vivum mori. Hic Antonius promptè: Meus codex, inquit, ſemper mihi ad manus eſt, rerum creatarum natura. Hic liber quinque paginarum eſt: prima terram mihi explicat, tot terræ germina, flores, herbas, arbores, plantas, tot centena millia diverſiſſimorum animalium. Altera mihi proponit mare, totque maris prodigia & monſtra, conchas,

oſtrea,

oſtrea, majas, murices, lupos, & vitulos marinos, cercopithecos, aſtacos, cetos, quibus homo vivus unicus eſt bolus. Tertia tres aeris regiones continet, & innumeram pecoris volatilis multitudinem. Quarta commonſtrat ignem adeo purum, ut oculis noſtris tranſitus per illum ad ipſas pateat ſtellas. Quinta oſtendit Cœlum, in quo diverſæ claſſes Angelorum, qui & avium, & cæterorum animantium, atque quod credibile, omnium conditarum rerum numeros longiſſimè excedunt. Has ego paginas volvo, hæc mea ſtudia ſunt, nec unquam deeſt quod legatur. Ita Deus in rebus creatis, in grandi hoc naturæ ſpeculo videri poteſt. At.

Interrogabis: Cur Deus tantam multitudinem tantamque diverſitatem rerum pulchrarum in hoc orbe ſpectandam propoſuerit? Reſpondeo idcirco, ut eſſet cœli guſtulus,

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

quô traheret ad Conditorem, pulchris omnibus infinitè pulchriorem. Idcirco (ut D. Bonav. enarrat) S. Franciſcus Seraphicus à creaturis aſcendebat ad Deum, ut ex omnibus excitaretur ad amorem Divinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, & per jucunditatis ſpecula in vivificam conſurgebat rationem, & cauſam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impreſſa rebus veſtigia, proſequebatur ubique dilectum, de omnibus ſibi ſcalam faciens, per quam conſcenderet ad apprehendendum eum, qui eſt deſiderabilis totus. Inauditæ namque devotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis ſingulis, tanquam in rivulis deguſtabat, & quaſi Cœleſtem concentum perciperet in conſonantia virtutum, & actuum, eis datorum à Deo, ipſas ad laudem Domini more Prophetæ David hortabatur.

5. Quamobrem ipſæ creaturæ, ſi

ex-

exactè prudenterque expendantur, animum contemplatoris in admirationem rapiunt Conditoris. Equidem universus iste mundus velut quidam liber est, digito supremi illius Architecti scríptus, suâ varietate, ceu literarum figuris exornatus. Sicuti autem is, qui literas non novit, si librum apertum inspiciat, characteres quidem ipsarum litterarum cernit, vim tamen & significationem earum haud comprehendit : ita is, qui non percipit ea, quæ Dei sunt: videt quidem externam creaturarum speciem, at internam illarum rationem non intelligit. Cæterùm homo spiritualis, qui oculos animi habet apertos, contemplando exterius admirabile Dei opificium, intus concipit : & ex pulchritudine rerum, quas contemplatur, transit ad pulchrum illud, pulchrorum omnium pulcherrimum, unde omnis pulchritudo dimanat. Cui hac in jucunda

con-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

conſideratione conſtituto, ſingula quæque miraculo ſunt : adeo ut ipſe obſtupefactus, cum Propheta exclamare cogatur : (i) *Quam magificata ſunt opera tua Domine ! omnia in ſapientia feciſti.* (k) *Delectaſti me in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.*

6. (l) Porrò, Deus non ſolô viſu, ſed guſtu etiàm, odoratu, & auditu, imò ipſo tactu in rebus creatis cognoſcendus offertur. Buccellam panis conſidera : quanti laboris eſt quod in panem formetur ſeges ? Frumentum enim ſeritur, ſatum omnes tempeſtates excipit, metitur, trituratur, molitur, in maſſam agitur, commititur furno, pinſitur, dum inferatur ori. Aſt & alia menſæ appoſita expende, hic lixa, frixave, illic aſſa, & toſta : juſcula, olus: ciborumquè varietatem, à Deo hæc ſunt omnia, ſub omnibus his latet Conditor. Quâ ratione Regi-

us

us Pſaltes invitat: (m) *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Quanta item odoratu gratiſſima offerruntur, quatenus eum, qui floribus, ungventis, & aromatibus fragrantiam indidit, contemplatores venerentur. Auditui dant gaudium & lætitiam illa Pſalmographi verba: (n) *Cæli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Quod in ipſa ſociata vocum concordia velut organo apparet. Cùm autem & prope nos ſit DEUS, tactu eundem modo aliquo contrectare licet. Audi Paulum exhortantem: (o) *Quærite Deum, ſi forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrum.*

7. Res ergo conditæ veſtigia Dei ſunt. Proinde, cùm, ut ſupra *D. Auguſtinus* ajebat, interrogatio creaturarum profunda, ſit conſideratio ipſarum, & reſponſio earum, atteſtatio illarum de Deo, omnibus clamantibus:

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

bus : DEUS nos fecit. Cùm item juxta *D. Gregorium*, innuit immensa admiratione quod est, mira hæc exterius ostendendo, quæ non est. Cùm insuper juxta *D. Bernardum* humana anima opus habeat creaturâ, tanquam vehiculô, ut ad Conditoris cognitionem assurgat. Cùm præterea creaturæ sint speculum & Liber, Conditoris à nobis considerationem exposcunt. Itaque, uni, vero, & pulchro inhiandum Deo, spretis umbris vanissimis. Cavendum ne non inhiantibus eveniat id, quod decepto cani accidere solet, qui umbram pro carnibus appetit. Inhiandum autem Deo per contemplationem creaturarum. Namque ut *D. Augustinus asserit* : (p) *Quærentes inveniunt eum.* (q) Itaque *Lætetur eor quærentium Do-* (r) *minum. Quærite Dominum, & vivet anima vestra.*

(a) Lib. 1. de claustr. animæ.
(b) Job. 12. 7. 8.
(c) Sap.

(c) Sap. 13. 5.
(d) Rom. 20.
(e) Solil c. 31.
(f) Lib. 26. moral. m. p. 884.
(g) De verb. Apoſt. Serm. 9.
(h) In ejus vita.
(i) Pſalm. 103.
(k) Pſalm. 91.
(l) Drexel. tom. 2. c. 7. §. 3.
(m) Pſalm. 33.
(n) Pſalm. 18. 1.
(o) Act. 17. 27.
(p) Lib. 1. Conf. c. 1.
(q) Pſalm. 104.
(r) Pſalm. 68.

CAPUT II.

Deus in omnibus, & ab omnibus laudandus.

1. CUm, ut Scholæ Loquuntur, Deus cuncta propter ſuam increatam, & infinitam gloriam condiderit, ex qua increata gloria naturaliter, & neceſſariò reſultat gloria creata, quâ Creatorem ſuum lau-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

laudant homines, Angeli, reſque creatæ. Hæc enim gloria ab illis Deo omni jure debetur. Eſtque hæc gloria vel patens & clara, ut in hominibus, & Angelis, vel tacita & mutua, ut in creaturis irrationalibus; namque illæ mutuâ vocè Deum glorificant, veluti opus ſuum artificem glorificare conſvevit, puta, Domus ſuum Architectum, pictura ſuum Pictorem.

2. *David* liberatus à ſummo periculo apud *Achis* Regem *Geth*, in gratiarum actionem erumpit, dicens: (a) *Benedicam Dominum in omni tempore.* Qui & duplicem modum, quô id facturus erat, adjecit. Ore primum: *Semper laus ejus in ore meo.* Deinde mente: *In Domino laudabitur anima mea.* Itaque Deus laudandus eſt omni tempore, hoc eſt, in proſperitate, & adverſitate. *Tobias Senior* captivus manens in *Ninive*, atque luminibus orbatus, dicit filio

ſuo,

ſuo, *Tobiæ* juniori : (b) *Omni tempore benedic Deum. S. Paulus* Civibus Theſalonicæ, quæ erat Metropolis, ſic dicta à Victore Philippo Rege, ita ſcribit : (c) *ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite.* Id eſt, tam in tribulatione, quàm in conſolatione, tam in morbis, quàm in ſanitate. *Jeſus Filius Sirach* (namque tres, quatuorve in veteri Lege hoc nomine inſignitos fuiſſe legimus) multis tribulationibus probatus, quas enarrat initio capitis, ait : (d) *Laudabo nomen tuum aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione.* Unde *S. Aug.* laudat veteres Religioſos, quod ſæpè in ore haberent (e) *Deo Gratias.* S. autem *Bern.* inquit : (f) *Laus in nobis referatur ad ipſum laudabilium univerſorum.*

3. Memoratus Rex *David* inſtituit ludum muſicum, (g) in quo ipſe, & res ceratæ Nomen Domini laudarent. In hunc ludum muſicum

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

invitati omnes Angeli, Sol, & Luna, omnia ſydera, omnes Cœli, elementa omnia; huc meteora, ignis, grando, nix, glacies, venti, pluviæ, ros, nimbi, pruinæ; huc gelu, & æſtus, lux, & tenebræ, dies & noctes, nubes & fulgura; huc terra cum omnibus ſuis germinibus, & animantibus, gradientibus atque repentíbus; huc aèr cum univerſis volatilibus; huc flumina, fontes, & maria; huc omnis ordinis, ſexûs, & ætatis homines; huc omnes populi, & gentes; huc principes & Reges invitati, ut laudarent nomen Domini, *quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius, & Confeſſio ejus ſuper Cælum & terram.*

4. Simili modo tres hebræi principes: *Ananias*, *Miſael*, & *Aſarias*, ab irato Nabuchodonoſore Rege, ligatis pedibus in fornacem ardentem, & ſeptuplo magis quàm conſueverat aliàs ſuccenſam præcipitati, ſolutis vinculis (h) *Ambulabant in medio flammæ*,

mæ, tanquam ſub hortenſi, & frondoſa pergula, cantantes, & velut miſſis per orbem epiſtolis, res creatas omnes ad ludum muſicum convocabant. Ad hos concentus Cœlum, cælique incolas, ignem & aerem, terram & aquas, aves, pecudes, piſces, demum & ſacerdotes, hominesque ſancti, & animo ſubmiſi ea lege evocantur, ut & ipſi accinant canentibus.

5. *Beata Virgo* auditâ Salutatione *Eliſabeth*, in vocem laudis prorupit pro beneficiis ſibi & toti mundo collatis, ait enim : (i) *Magnificat anima mea Dominum.* Nato *Joanne Baptiſtâ.* Zacharias Pater recuperatâ voce, Dominum prophetando laudavit, dicens : (k) *Benedictus Dominus Deus Iſrael.* (l) Videntes turbæ paralyticum à Domino curatum, magnificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. (m) Claudus à *Petro* ſanatus, intravit cum Apoſtolis

ad

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ad templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum, & omnes glorificábant Deum. Gratias agebat *D. Paulus* pro beneficiis ſibi & aliis collatis: (n) *Gratias ago Deo meo, qui me confortavit in Chriſto, qui prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam conſecutus ſum.*

Ipſi etiam impii & blasphemi laudant Deum. (o) Nam & in his elucet Dei potentia, quæ fecit illos; bonitas & ſapientia, quæ regit illos. miſericordia & juſtitia, quæ expectat illos, ut reſipiſcant, & pœnas dependant pœnitentiâ. Differunt, aut recuſant? ad pœnam non emanſuram deſtinantur.

6. Inclytus Legislator Sodalitii noſtri S. Franciſcus (p) pſalmos cum tanta mentis attentione dicebat, quaſi Deum præſentem: uti reipſa nobis ubique intimè præſens eſt: haberet, & cùm nomen Domini in eis occurreret, præ ſuavitatis dulcedine labia

ſua

ſua ſingere videbatur. Ipſum quoque Domini nomen non ſolùm cogitatum, verùm etiam prolatum, & ſcriptum reverentià volens honorare præcipuà, fratribus perſuaſit aliquando, ut omnes ſchedulas ſcriptas, ubicunque repertas colligerent, mundoque loco reponerent, ne fortè, ſacrum illud nomen contingeret conculcari.

Rurſus cùm prædictus Divus (q) quotidie à populo plurimùm honoraretur, & manus, habitum, pedes, & pedum veſtigia omnes populi, per quos tranſibat, præ devotione & ſanctitatis reverentia oſcularentur, nec ipſe nihil horum prohiberet, quidam de ſociis de ſancti humilitate dubitans, & velut ſcandalum paſſus, quod tantum ſibi permitteret honorem exhiberi, dixit ei: Non vides Frater, aut non attendis, quid hi faciunt, & tu fieri permittis? Homines tantundem te honorant, &

pro

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

pro ſancto exceſſivè venerantur; nihil horum tu renuis, aut rejicis, imò videris in omnibus complacere. Quid hoc? Beatus Pater reſpondit: *Tantum abeſt Frater, ut hæc abjiciam, ut pauca hæc mihi videantur. Plura certe omnes populi facere deberent.* Cui ſocius magis turbatus: Ego, inquit, hæc non intelligo, ut tu Frater pro ſancto reputeris, laudem & honorem populorum deſideres. Ad hæc Beatus Pater: *Frater vide, & intellige: Nihil hujus reverentiæ approprio mihi aut tribuo, totam in Deum remitto, & me ipſum conſervo in fece meæ humilitatis. Meam agnoſco vilitatem, DEI perpendo Majeſtatem. Homines autem non parvam ex hac reverentia reportant utilitatem, dum Deum recognoſcunt, & honorant, & in creaturis reverentur.* Deum in ſe non ignorat, qui ejus beneficia in creatura recognoſcit. Creaturæ verò ipſius non ſuperbit humilitas, dum in illa Divina ado-

ratur

ratur Majeſtas, ſicut in Imaginibus, aut ſtatuis Dei, vel Deiparæ, uterque colitur, & tamen lignum vel ſtatua nec ſuberbiâ tument, nec honore extolluntur : Ita nec DEI ſervus (qui illius viva & vera Imago eſt, & in quo Deus veneratur & colitur, propter multa, quæ in hac imagine illius relucent beneficia) altiora, aut majora de ſe cogitat, imo magis in ſua humilitate ſolidatur ; omnia Deo tribuit, nihil ſibi : Lignum, aut ſtatuam, imò purum nihilum ſe reputat reſpectu Dei, cui omnem tribuit honorem & gloriam, ſibi verò tribulationem, miſeriam, & verecundiam.

S. Ignatius Almæ Societatis JEſu Parens (r) frequenter è viliſſimis quibusque rebus, è frondis, plantulæ, floris, aut fructûs, è vermiculi, aut alicujus animalculi conſideratione, mentem in Deum dirigebat. Atque ex hac ipſa Numinis in omnibus

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

quærendi assvetudine Ignatius, utilissima ad omnem vitam documenta hausit, & inprimis ignitum zelum, atque procurandi honoris Divini continuum studium: quod appare ex cœlesti illa ejusdem omnibus in rebus usitata epigraphe, qua omnia ad majorem Dei gloriam transcri bebat.

7. (s) Deum in ipsis tormenti benedixerunt Martyres. Unus ex omnibus *S. Theodorus* Martyr cùm ferreis ungulis discerperetur, tædisque ardentibus ureretur, vultu alacri emicans, firma & intrepida voc exultans dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in or meo.* Cum ardentem in rogum e set conjectus, in Sanctissimæ Trinita tis laudibus animam exhalavit.

(t) Galenus 20. libros, quo de usu partium corporis humar scripsit, postquam admirabilia secre ta, quæ in eis sunt, retexerat, ho

di ctô

dictô terminat : *Videmur nobis elegan-*
em bonoris cantum in Dei laudem ce-
inisse. Meliusque *seneca*, reprehen-
lens eos, qui ajunt : *Hoc, aut illud*
atura fecit : tu naturæ, inquit, *Dei*
omen mutas, quantò pulchriùs, si dixe-
is : Deus hoc, aut illud fecit.

Barbari ipsi docent nos illud
ontinuum Dei laudandi studium.
u) Turcæ enim habent accusatores,
ui de orationum omissione convi-
tos, per urbem circumducunt, &
abulam cum caudis vulpinis collo
ppendant, ac pecuniariâ mulctâ
uniant.

8. Alaudas etiam scimus canti-
ndo altius, atque altius per auras
scendere. Subinde, qui illas audit
antilantes, is Angelos, cœlitesque
eteros meditetur, qui Deum jugi
ude afficiunt : Si in cœlum oculos
llere, tibi conscius vereris, subje-
a in planitie tot florum agmina,
erbarum acervos, fluviorum fluctus,

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

terræ ſegetes, arbores, animalia contemplare, quæ omnia in Dei laude jugiter occùpantur. Vide ne, cùm Divinum ſis organum, cæteris omnibus ſonantibus, ſurdos tamen ſonos edas: Cæteræ autem creaturæ viriles & canoros. Hoc monet *S. Chryſoſtomus*, : (v) *Turpe fuerit, ut homo, qui eſt compos rationis, & omnibus, quæ videntur, præſtantior, ſit creaturà in Dei laudibus inferior.*

9. Ad hoc continuum Dei laudandi ſtudium excitare nos debent Angeli. Aſtant enim Divini illi Principes cæleſti throno, & die noctesque divinum illud triſagium (x) *Sanctus, Sanctus, Sanctus* inge minant. Audiamus *D. Anguſt.* Tu in illud Pſalmi: (y) *Per ſingulos die benedicam te*, ſic loquitur: *Sive erg in illius donis, ſive in ejus flagellis laud eum, qui tibi aut blanditur dando, n deficias: aut corripit exultantem, ne pe reas: laus flagellantis, medicina eſt vul neris.*

neris. Et *S. Hieron.* ita differit: (z) *Chriſtianorum propria virtus eſt, etiam in bis, quæ adverſa putantur, gratias referre Creatori, ac dicere: Benedictus Deus, minora me ſcio ſuſtinere, quàm mereor.*

10. *David* Propheta claudit to-lum ſuum Pſalterium, dicens: (aa) *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Ita-que, ad laudandum Deum nos im-pellere debet omnis creatura, Do-mino ſuo ſerviens, atque illum lau-dans. Qua in re *S. Ambr.* exem-plum avium nobis ob oculos ponit. Verba ejus ſunt: (bb) *Aves propter viles eſcas gratias agunt, tu in pretioſiſſi-mis epulis paſceris, & ingratus es?* Proinde ſi Deo dederis ſpiritum tu-um, & eum laudes: Ille tibi dabit ſpiritum ſuum, ut omnibus rebus ſu-perior, carni, mundo, ac dæmoni dominaris. Ergo: (cc) *Regi ſæcu-lorum, immortali, inviſibili, ſoli DEO honor & gloria.*

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

(a) Pſalm. 33.
(b) Tob. 4 20.
(c) Epiſt. 1. c. 5.
(d) Eccles. 51. 15.
(e) In Pſalm. 132.
(f) Super Cantic.
(g) Pſalm. 148.
(h) Daniel 3. 24.
(i) Luc. 1.
(k) Ibidem.
(l) Marci 2.
(m) Act. 3. & 4.
(n) 1. Tim. 1.
[o] Drexel t. 2. p. 791.
[p] S. Bonav. in vita ejus c. 10.
[q] Piſan 1. conf. 6. & l. 1. conf. 5.
[r] In vita ejus.
[s] Thom. leblanc in Pſalm. 33.
[t] Theat. vit. hum. tit. *Deus.*
[u] Gisbert. lib. 1.
[v] In Pſalm. 144.
[x] Daniel 6. 3.
[y] Pſalm. 144.
[z] In c. 5. ad Epheſ.
[aa] Pſalm. 159.
[bb] In c. 1. Malach.
[cc] 1. Tim. 1.

zkvh.org.rs

CAPUT III.

Deus timendus, semper & ubique præ oculis habendus.

OStensurus *David* Propheta in quo timor DEI consistat, hoc utitur exordio : (a) *Venite filii, timorem Domini docebo vos.* Et benevolentiam ergo omnium ad se confugientium conciliat per illud: *Venite filii*, & argumentum de quo erat tractaturus, exponit, dum dicit: *timorem Domini docebo vos*; & attentionem à rei magnitudine, jucunditate, & utilitate excitat, subjungens: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Itaque timor Domini, qui juxta *S. Hilarium*, non in terrore, sed in ratione doctrinæ est; neque in trepidatione naturæ, sed in præceptorum observantia, & in moribus vitæ innocentis, & cognitione veritatis consistit, ducit ad dis-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ciplinam : Disciplina ad sapientiam : Sapientia ad gloriam tum præsentem, tum æternam. Sic *Job*, (b) qui erat timens Deum, & recedens à malo, quia patientissimè sustinuit in timore Domini & bonorum, & familiæ, & sanitatis jacturam, restitutus est in omnibus, & amplificatus. (c) *Ninivitæ* auditâ Jonæ prædicatione de subversione sua, quia timuerunt Dominum, à futura generali subversione liberati sunt. (d) *Simeon* quia erat justus, & timoratus, meruit illuminari ad cognoscendum Verbum Incarnatum, dicens : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* (e) Latroni in cruce Deum timenti, & socium arguenti, quod non timeret Deum, impatienter ferens pœnam Crucis, Christus dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.*

2. Monet *Ecclesiastes*, dicens : (f) *Deum time & mandata ejus observa, hoc*

est

eſt enim omnis homo. Quem locum exponens *S. Bonav.* inquit: (g) timorem Domini vel in declinatione mali, vel in comparatione boni conſiſtere; ad quod etiam omnis doctrina, & locutio *Salomonis* ordinatur, imo tota Scriptura. Idcirco primò quantum ad declinationem mali, dicit: *Deum time*, in timore enim Domini declinatur à malo. Quantum ad operationem boni, dicit: *Et mandata ejus obſerva.* Audi Iſrael & obſerva, ut facias quod præcepit Dominus. *Hoc eſt enim omnis homo.* Id eſt, totus & perfectus homo. Si enim facit bonum, & non declinet à malo, non eſt integer homo, ſed dimidius. Rurſus, ſi declinet à malo, & non faciat bonum, non eſt niſi dimidius homo. Si autem declinet à malo per timorem, & faciat bonum per mandatorum obſervationem, *jam eſt omnis homo.* Id eſt perfectus & completus. Juſtus enim

Knjižnica franjevačkog samostana u Subotici

Dominus ab homine nihil amplius requirit.

3. *Ecclesiasticus* autem timorem Domini instillat, inquiens: (h) *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani. deprecatio offensionis, & adjutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Et in Proverbiis dicitur: (i) *Justus quasi leo, confidens absque pavore erit.* In Psalmis autem habetur: (k) *Qui confidunt in Domino, non commovebitur in aeternum.* (l) *Non timebo mala, quoniam tu mecum es* (m) *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Quæ intelliguntur, dum Deus spes justi est: Si enim ab eo

oculos divellas, incipies cùm *Petro* in mari ſubmergi. Intelliguntur inſuper de eo, qui perfecte Deum timet, cujus perfecta charitas foras mittit timorem. Quod ſi juſtus non timet innumera, quæ ſunt in hoc ſæculo mala, quia ſentit, quod Deum ſecum habet, num non beata eſt anima ejus, inquit Palacius?

4. (n) *Ariſtoteles* ſcribit quædam animalia valde timida difficilius cicurari, & ad manſvetudinem traduci: Sæpe enim videmus ex animantibus leones tigridesque mites fieri; leporres, autem non ita: Ex avibus etiam aquilas, hierofalcos & id genus audaces quasdam alites, cicures paſſim conſpicimus: turtures autem, paſſeres & aliæ quædam timidiores aviculæ, nullis poppysmis manſvefiunt. Ratio autem eſt in promptu, quia illa, quæ timidiora ſunt, ne ſe cicuranti omnino credant, timor ipſe in cauſa eſt; cùm contra audaci-

Knjižnica franjevačkog samostana u Subotici

oribus illis ipſamet audacia fiduciam inſpiret. Si ergo hæc ita ſe habent, quà demum ratione fieri poteſt, ut timor Dei efferos hominum animos ad manſvetudinem traducat? Hujus rei ratio em nobis offert ipſa timoris DEI natura, per quam non conſternatur, & dejicitur, ſed magis erigitur & acuitur hominum animus; qui enim Deum ex animo timet, confeſtim reliqua omnia timere deſinit, juxta illud Proverb: (o) *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes.* Audi *D. Aug.* Super præfatum Scripturæ locum ita diſſerentem: (p) *Diſcat timere qui non vult timere: Diſcat ad tempus eſſe ſolicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus; nam ſicut in bona valetudine fames, non faſtidio, ſed cibo pellitur, ita in bona mente timor non vanitate, ſed charitate pellendus eſt: Diſcute ergo conſcientiam tuam, & time Deum, quisquis jam timere non vis.*

5. Me,

5. Memorabile eſt exemplum *S. Joannis*, qui à ſilentio perpetuo cognominatus eſt ſilentiarius. (q) Hic enim dum *Almundarus* cum ſuis Saracenis invaderet Palæſtinam, cæteris fugientibus, ſolus ipſe in Monaſterio remanſit, dicens : *Si Deus mei curam non gerit, ut quid vivo?* nec eum ſpes, aut Deus fefellit : Miſit enim illico leonem, qui Joannem cuſtodiret die ac nocte, eumque ubique comitaretur, ac contra Saracenos tutaretur. Uti refert oculatus teſtis *Cyrillus* in ejus vita. Eapropter *Damaſcen. Ex dydimo* in *Parall.* inquit : (r) *Fieri non poteſt, ut qui Dei timore præditus eſt, meticuloſus ſit, cùm illud Scripturæ monimentis proditum ſit : præter illum ne quemquam alium metuas.*

6. Sed & Deus ſemper & ubique præ oculis eſt habendus. *Salomon* in *Proverbiis* dicit : (s) *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſ-*

ſus

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ſus tuos. Hoc eſt repræſenta tibi Deum, Deique voluntatem, vitam & legem quaſi normam tuarum actionum, cui adamuſſim omnes conformare debeas; atque ſic Deus quaſi norma & regula rectiſſimè diriget omnes greſſus actusque tuos. Ita cogitabat Deum ubique *David*, dicens: (t) *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam, à dextris eſt mihi ne commovear.* Idem præceptum *Tobias* moriturus, dedit filio: (u) *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini noſtri.* *Jobus* autem ita loquitur: (v) *Nonne Deus conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?* Aſſidua enim cogitatio Divinæ præſentiæ, maxime ſtabilit mentem in Deo.

7. Hoc fuit olim, & etiamnum eſt, præcipuum Aſcetarum, & Religioſorum officium & exercitium, ut

ſem-

ſemper & ubique D um cogitarent, cum eoque quaſi præſente verſarentur & colloquerentur. Unde Abbas Aloïs : (p) Niſi, inquit, dixerit homo in corde ſuo : *Ego ſolus, & Deus ſumus in hoc mundo, requiem non habebit.* Ibidem Abbas Beſſario : *Monachus*, inquit, *debet totus eſſe oculus, ſicut Cherubim & Seraphim, qui jugiter intuentur, amant, & glorificant DEUM.* Et Abbas Daniel : *Quis enim aufert à nobis Deum ? nam & ſoris Deus eſt modo, & iterum in cella Deus eſt.* Et Abbas Joannes : *Sicut dum pluit, arbores producunt ramos, ſic quando ſpiritus ſanctus deſcendit in corda ſanctorum, vireſcunt quodammodo, & innovantur, & proferunt folia in timore DEI.*

8. Itaque cogita de Deo, & ipſe viciſſim ſimiliter cogitabit de te, ut dirigat greſſus tuos ad omnem proſperitatem, ſanctitatem, & felicitatem, juxta illud, quod Chriſtus di-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

xit S. Catharinæ Senenſi: *Filia cogita ſemper de me, & ego cogitabo de te.* Tu, ut mihi obedias & ſervias, ego ut te dirigam. protegam, & in omni gratia & gloria promoveam. Si nos cogitemus de Deo, proponentes ei per omnia placere, & obſequi, ſequentes Patrem fidei noſtræ *Abraham*, cui Deus dixit: (y) *Ambula coram me, & eſto perfectus*, Deus quaſi ex pacto, & obligatione, omnes actiones noſtras directurus eſt, ut ſanctum & felicem ſortiantur effectum. Ita *Tobias* monuit Filium: (z) *Omni tempore*, inquit, *benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat. Et omnia conſilia tua in ipſo permaneant.*

9. Sic Sancti in omnibus rogant, impetrantque, ut dirigantur à Deo, ut Deum habeant aurigam præſidentem animæ ſuæ, omnesque ejus motus, & actus aurigantem. Hoc modo faciebat *David*, dum dixit: (aa)

Gre-

Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum. Et in alio loco (bb) *Dominus*, inquit, *regit me.* Ita *S. Antonius* apud *S. Athanas.* *Unica* inquit, *eſt ratio vincendi inimicum lætitia ſpiritualis, & animæ Dominum ſemper cogitantis jugis recordatio, quæ dæmonum ludos, quaſi fumum expellit.* Et: *ſecuritas animæ, præſentis majeſtatis indicium eſt.* Hinc docent Theologi, ad bene agendum non ſufficere juſto habitus gratiæ & virtutum infuſos vel aquiſitos, ſed inſuper eum egere actuali motione ſpiritûs Sancti, eò quod in Concilio Palæſtino, quod ſæpe citat *S. Auguſt.* contra Pelagium definitum ſit, *gratiam ad ſingulos actus dari*; & Apoſtolus dicat: (cc) *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.*

(a) Pſalmo 33.
(b) Job. 1.

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

(c) Jonæ. 2.
(d) Luc. 1.
(e) Luc. 23.
(f) Eccl. 12.
(g) S. Bonav. in c. præfat.
(h) Eccl. 34. v. 16. uſque ad 20.
(i) Prov. 28.
(k) Pſalm 124.
(l) Pſalm. 22.
(m) Pſalm. 26.
(n) Lib. de part animal.
(o) Prov. 14.
(p) Serm. 214. de temp.
(q) Cornel. à Lap. in c. Eccl. 34.
(r) Lib. 1. c. 4.
(s] Prov. 3.
(t) Pſalm. 15.
(u) c. 4. 6.
(v) Job 31.
(x) In vitis Patrum lib. 5.
(y) Gen. 17.
(z) Tob. c. 4.
(aa) Pſalm. 118.
(bb) Pſalm. 22.
(cc) 2. Cor. 3.

CA-

zkvh.org.rs

CAPUT IV.

Deus ſuper omnia diligendus.

1. (a) DEUM totô corde, tota animâ, totis viribus jubemur diligere. Quod utique ita fiat, ut ſola erga eum dilectio omnes alias ſuperet dilectiones. Super omnia enim amandus eſt auctor ipſe omnium, atque conſervator. Nulla res unquam cordi noſtro ſic inhærere debet, ut ejus cauſa ille qui eſt cauſarum cauſa, minus honoretur, minus colatur. Deſpiciantur opes, deſerantur parentes, perferantur ſupplicia, vita iſta effundatur: Nihil denique vel non agendum, vel non ſuſtinendum putetur, quod ab homine agi, ſuſtinerique poſſit, dummodo ſoli pareatur Deo, ſoli ſemper deſerviatur.

3. (b) *Machabæi* ſeptem Fratres neque ingentibus regis promiſſis corrup-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

rupti ſunt, neque minis territi. Ad perferenda fortiter ſupplicia mater hortatrix aderat, & magis ipſa animo torquebatur, verens, ne tormentis victi, contra legem Dei aliquid agere inclinarentur. Sed & feliciter conſumpti, plus Deum, quàm ſemetipſos diligendum, documento fuêre, & mater ſic amando filios, ut eos quocunque mortis genere affici maluerit, quam peccare. Ac ne in ſe, quàm in liberos indulgentiorem fuiſſe putes, quos ad necem præmiſerat, continuò ſequi voluit. Et id quidem tantò lubentiús, quantò jam de eorum erga Deum fide magis fuit ſecura: Non ſupplicia reputabat, ſed an Deum amarent, glorioſam experientiam, multaque charitate ardens, probari tam ſe, quàm filios pœnis acerbioribus geſtiebat.

3. (c) Dei charitas ſanctos non modo divitiarum dignitatumque ſæcularium, atque honorum, verùm

eti.

zkvh.org.rs

etiam lucis hujus contemptores fecit. Nullis Tyrannorum minis ſuppliciisve abſterreri potuerunt, ne nomen Dei ubique palam prædicarent, atque extollerent. *Petrus*, *Andreas*, *Philippus* crucifigi non recuſarunt. *Jacobus* & *Paulus* capite truncari: *Jacobus* alter de pinna templi dejici, & fullonis fuſte mactari, *Joannes* in bullientis olei dolium nudus demitti: *Thomas* & *Matthæus* lanceis confodi *Stephanus* lapidibus obrui: *Mathias* ſecuri percuti: *Simon* & *Judas* irruenti ſacrilegorum impetu elidi atque obteri: Reliqui omnes diſcipuli diverſis tormentorum generibus abſumi, ac perimi. Quid poſt illos de tot millibus Martyrum dicam? Dulcia illis tormenta erant, per quæ ad Chriſtum aſcendere, & cum illo conjungi peroptarant. Nihil illis formidini, nihil timori eſſe poterat, quoniam perfecta charitas foras mittit timorum. Vehementiores pæ-

nas

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

nas expetierunt, ut majoris amoris teſtimonium redderetur. Sed nulla tam vehemens à perſecutoribus excogitari potuit, ut æquaret patientium affectum, graviora tolerare parati erant, quàm noverat inferre rabies inimici in ipſos debachantis.

4. (d) *Petrus* Apoſtolus (cùm quibusdam ex diſcipulis durus ille ſermo Domini videretur : Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & ſanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis ; ideoque poſt ſenſum ſuum abeuntes, ab ipſo deſciviſſent) reliquos duodecim interrogante Domino, an & ipſi abire vellent ? pro omnibus reſpondit : Domine ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus filius Dei. In monte cùm reliqui fulgentis Domini ſplendore ſtupefacti mutire non auderent, primus prorupit in vocem : Domine bonum

eſt

eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria Tabernacula tibi unum, Moyſi unum, & Heliæ unum. Cur etiam ſibi unum non popoſcit? Quia eodem cum JEſu contubernio uti conſilium erat. Cùm Dominum audiſſet dicentem: Quo ego vado, vos non poteſtis venire, ſolus percontatur, & interrogat, Domine quo vadis? & quare non poſſum te modo ſequi? animam meam pro te ponam. Omnia quidem præſumere cogebat amor, ſed imbecillitas non omnia potuit præſtare. Jam ad ſupplicium raptum à longè ſequitur, nec in atrium ingredi audet, ſed foris ante oſtium præſtolatur, & ab aliis introductus, accedit ad ignem, quoniam ſurrepente formidine frigeſcebat charitas. Denique interrogatus, ſe noſſe illum, negat: Pro quo paulo ante ne vitæ quidem ſuæ parſurum, ſi res ita poſtulaſſet, dixerat. Ceſſit tunc ſanè timori amor, ut pateret, quan-

ta

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

fac. Arguitur itaque, quia timuit, ſed ſalvatur, quia ejus ope etiam ſalvari poſſe credidit, cujus virtute ſuper mare inceſſit: ut dubitaret, fragilitas contulit: ut invocaret, fides juſſit: ut periculum evaderet, charitas impetravit: Tunc quoque ſeparari ab eo pertimuit, cum ille diſcipulorum pedes lavans ſibi obnixe renitenti minaretur, ac diceret: Niſi lavero te non habebis partem mecum. Hoc ut audivit, protinus ſe totum ejus exponens voluntati, reſpondit: Domine, non tantum pedes, ſed & manus, & caput. Modo dixerat: non lavabis mihi pedes in æternum · et tam cito mutavit ſententiam, quam cito illam Domino minus placere intellexit. Utrobique tamen ſummi amoris argumentum, cum & reverentiam præſetulerit renuendo, & permittendo obſequii ſollicitudinem. Cum audiviſſet, quod unus ex diſcipulis conſpiratus eſſet

in

in Dominum ſuum, & à Joanne quæreret quis ille eſſet; quo eum animo quæſiſſe crediderimus, nonne ipſum membratim diſcerpendi, ſi cognoviſſet, quandoquidem nec armatorum cohortem timuit, unum ex illis gladio feriens, dum pro Domino, cui jam manus injecerant, furibundus, contempto vitæ periculo, decertat? plures invaſurus niſi Dominus inhibuiſſet; tunc gladium vaginæ reddidit, cum is, cui etiam ligato parendum erat, juſſit. Poſt reſurrectionem, mortuum quoque ac ſepultum quærere non ceſſavit. Cucurrit unà cum Joanne ad monumentum, ut citius cæteris videret ſuum, quem cæteris ardentius amabat. Præcucurrit quidem Joannes, ſed ante intravit ad monumentum Petrus, corpore tardior, ſed amore aliquanto ferventior. Ter interrogato, & ter reſpondenti, quod ipſum amaret, oves ſuas ultro committit. Ter-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

tio interrogatus Petrus contriſtatur, & ne quid, ut ante imprudenter, temereque præſumpſerit dubitans, conſideratius reſpondet: Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te. Alias multum pollicitus, tam nihil præſtitit, ut etiam veritatem abnegaret: modo nihil promittere auſus, tantum exhibuit, ut poſt perſecutiones, verbera, carcerem, catenas, quas pertulit, etiam crucifigi pro nomine illius non recuſarit. Hinc apparet nihil eo eſſe imbecillius, qui in ſe confidit, neque fortius, qui in Deo confidens, Neronem contempſit: qui in ſe confidens expaverat ancillam.

5. (e) D. *Paulus*, Gentium Apoſtolus, Corinthios hortatur, dicens: ſive manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et de iis, qui Deum amant, ad Romanos ait: Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundnm propo-

positum vocati sunt Sancti. Et de iis, qui negligunt, ad Corinthios: Si quis non amat Dominum JEsum Christum, sit anathema; hoc est is in adventu Judicis, à fidelium consortio venit separandus, qui à Christi Charitate fuerit alienus.

De eodem Apostolo in actis legimus, cum esset Tyri ab Agapo Propheta, & à Spiritu Sancto fuisse prædictum, quod vincula, tribulationesque passurus Hierosolymis esset. Ipse tamen eodem Spiritu confirmatus illico proficisci nequaquam dubitavit: nihil supplicia veritus, dum prædicat JEsum. Lugentibus discipulis, & magistrum indulgentissimum pariter, ac doctissimum à proposito deterrentibus: quid facitis, inquit, flentes, & affligentes cor meum, ego autem non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini JESU. Ivit, in insidias incidit, comprehenditur,

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ligatur, cæditur, torquetur. Roma ad Philippenſes ſcribens; in omni fiducia, inquit, ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. Mihí enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Et rurſum: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam JEſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, ut inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti JEſu. Ad Romanos Corintho ſcribens, clamat: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? ſicut ſcriptum eſt. Quia propter te mortificamur tota

die

die, & æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JEſu Domino noſtro.

6. (f) *Maria Magdalena* mundi dilectione in dilectionem Domini commutata, ſoli illi placere cupiens, venit in domum Phariſæi, ubi ipſe recubuerat, humique proſtrata pedes ejus oſculari cœpit, lacrymis rigare, capillis tergere, unguentis perfundere; & quoniam charitas operit inultirudinem peccatorum, continuo de illa dictum eſt: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Iterum in domo Simonis leproſi ejusdem Domini caput unxiſſe refertur unguento pretioſo. Impetrata quip-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

pe delictorum venia, altius promovetur, & quæ pedes unxerat, jam digna fit, quæ ungat & caput. Jam ſepulto Domino comparavit aromata, ante lucem ad monumentum venit, & non invento corpore, recurrit ad diſcipulos: tulerunt, inquit, dominum de monumento, & neſcimus, ubi poſuerunt eum? Rurſum revertitur, identidemque ſuper vacuum ſepulchrum inclinata proſpectat, perquirit, plorat; recedunt diſcipuli, permanet illa. Hæc perſeverantia tandem obtinuit, ut Domini à morte reſurgentis gloriam prima videret, prima crederet, prima cæteris nuntiaret.

7. (g) D. *Auguſtinus* rebus Divinis poſt converſionem totus inhærens, ita ad ànimam ſuam loquitur, ut ad Dei amorem illam excitet: Quid tibi, inquit, placet in ſæculo? Quid eſt quod vis amare? quocunque corporeos ſenſus converteris, occurrit tibi

cœ-

cœlum, occurrit tibí terra. Quod amas in terra, terrenum eſt, quod amas & in iſto viſibili, corporeum eſt. Utrobique amas, & utrobique laudas? Quomodo laudandus eſt ille, qui fecit iſta, quæ laudas? Jam ergo diu occupata vixiſti, & deſideriorum diverſitate verberata, portas plagas ſauciata, diviſa per amores multos, ubique inquieta, nusquam ſecura. Collige te ad te ipſam, quidquid tibi foris placebat, quære quem habet authorem. Nihil melius in terra v. g. quam hoc & illud, aurum & argentum, animalia, arbores, amœnitates, totam terram cogita. Quid melius in cœlo ſole, luna, ſyderibus? Totum cœlum cogita. Omnia iſta ſimul bona valde, quia fecit Deus omnia bona valde: undique pulchritudo operis commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem. Non ita occuperis in eo, quod factum eſt, ut rece-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

das ab illo, qui fecit. Hæc enim quibus occuparis, ſub te fecit, quia ſub ſe ipſo te fecit: ſi hærebis ſuperiori, calcabis inferiora: ſi autem recedas à ſuperiore, iſta tibi in ſupplicium convertentur. Scis ergo occultorum cognitor Deus (ait idem Aug. in medit) quoniam cœlo & terra & omnibus, quæ in ea ſunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es, diligo enim te ſuper cœlum, & terram, & cœtera omnia, quæ in eis ſunt, imo amore nominis tui, quæ tranſitoria ſunt, procul dubio amanda non ſunt. Amo te, Deus meus, amore magno, magisque te amare cupio. Da mihi ut amem te ſemper, quantum volo, quantum debeo, ut tu ſolus ſis tota, & omnis meditatio mea. Te mediter per dies ſine ceſſatione: te ſentiam per ſoporem in nocte: te alloquatur ſpiritus meus, tecum confabuletur mens mea. Felices, qui nihil aliud diligunt, nihil

quæ-

quærunt, nihil etiam cogitare didicerunt. Felices ? quorum ſpes tu ſolus es, & omne opus cordis eorum oratio. Et alibi: Immenſus es, Domine, & ideo ſine menſura debes amari, & laudari ab iis, quos tuo pretioſo ſanguine redemiſti. Amator hominum benigniſſime, clementiſſime Domine & æquiſſime Judex, cui omne Judicium dedit Pater, diſcernis hoc rectum, & juſtum eſſe, ut filii hujus ſæculi, noctis, & tenebrarum præſtantiori deſiderio, virtute, atque ſtudio diligant, & quærant perituras divitias, & fugitivos honores, quam nos ſervi tui diligamus te Deum noſtrum, per quem facti & redempti ſumus? Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abeſſe: Si ſponſa ſponſo tanto mentis conglutinatur ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari ſui abſentiam non ſine mœrore

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ferens: qua dilectione, quo ſtudio. quo fervore anima, quam ſponſaſti tibi fide, & miſerationibus, debet diligere te Deum verum, & pulchrum ſponſum, qui nos ſic amaſti, & ſalvaſti? qui pro nobis tot, tanta, & talia feciſti?

8. (h) Generoſus ille vir Joſaphat *Avennir* Regis Indorum filius, poſt Patris obitum ex aula egreſſus, exterius veſte regia, interius cilicio, quod Barlaam ipſi dono dederat, ornatus, prima nocte in pauperis cujusdam domunculam divertens, veſtem regiam, qua indutus erat, abjecit, poſtremumque illud beneficium egenti tribuit, Cumque ad hunc modum, tum illius, tum multorum aliorum pauperum precibus Dei auxilium ſibi acciviſſet, ejusque gratia & præſidio, tanquam ſalutis veſtimento, lætitiæ pallio ſe ſe induiſſet, ad ſolitariam vitam exceſſit; non panem, non aquam, non quod-

quam

quam aliud gerens indumentum. præter illud cilicium. Etenim ſingulari quodam deſiderio, ac divino immortalis Regis Chriſti amore faucius, toto animo in id, quod amabat, incumbebat, totus extra ſe raptus, ac divinitus immutatus, Deique Charitate, omni ex parte correptus. *Fortis enim*, inquit, ille, *ſicut mors dilectio*. Tantam videlicet ille ex divino amore temulentiam contraxerat, tantaque ſiti æſtuabat, inſtar videlicet illius, qui dicebat: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*; & ut anima illa, quæ dicebat, *Charitate vulnerata ſum*, ac rurſum: *Oſtende mihi faciem tuam, & fac me audire vocem tuam: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Hunc ignem, cum præclarus etiam, ac corpore quidem nobilis, cæterum longe nobiliore ac magis regio animo præditus vir in

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ſe ipſo accepiſſet, terrena omnia prorſus aſpernatur, omnes corporis voluptates prorſus proculcat, opes & gloriam atque humanos honores pro nihilo ducit, diadema, & purpuram abjicit, aranearum telis viliora exiſtimans, atque ad omnia dura, & acerba monaſticæ vitæ ſtudia prompto animo ſe tradit, illud Pſalmiſtæ clamans: *Adhæſit anima mea poſt te*, o Chriſte, *ſuſcipiat me dextera tua.* Cumque ad hunc modum, oculis â tergo minime contortis in intimam ſolitudinem ſe contuliſſet, atque caducarum rerum confuſionem, tanquam moleſtiſſimam quamdam ſarcinam, & cat nam excuſſiſſet, ſpiritu lætabatur, conjunctisque in Chriſtum, cujus deſiderio ardebat, oculis, ad eum tanquam ad præſentem, atque ipſius vocem audientem clamabat, eumque alloquebatur his verbis: Ne jam quæſo, o Domine! oculus meus hujuſce vitæ bona videat, nec præ-

ſens

ſens vanitas mentem meam à ſuſcepto itinere abſtrahat. Verum Domine mi, oculos meos ſpiritualibus lacrymis imple, greſſusque meos dirige, famulumque tuum Barlaam mihi commonſtra, eùm, inquam, per quem mihi ſalus parta eſt, oſtende! ut ſolitariæ, ac monaſticæ vitæ ſinceritatem per ipſum addiſcam. &c. Nec deſiit progredi, donec ad Barlaam pertingeret.

9. (i.) *Joannes Junior* in Libro, qui inſcribitur ſcala cœli, ſcribit, quod Pariſiis fuit Scholaris quidam, qui de terra longinqua veniens, ingreſſus eſt Scholas Theologiæ cujusdam Magiſtri, qui legebat Matthæum. Cumque prima die, qua ejus Scholas intravit, legeretur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. ille ſubito ſurrexit, & dum incipere recedere, cunctisque admirantibus interrogaretur à Magiſtro, quid eſſet ſibi dictum vel factum, quare

di-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

dimitteret Scholas? Nihil, respondit ille, sed antequam plus audiam, istud volo opere complere: Et egressus, religionem intravit.

(a) (b) (c) (d) (e) (f) Marul Lib. 5. cap. 1.
(g) D Aug. in Psal. 145. & in medit.
(h) D. Joan. Damas. in Hist. de N. Barlaam & Josaphat.
(i) Joan. Junior Dominic in Scala Cœli.

CAPUT V.

Proximus diligendus.

1. SEcunda tabula decalogi, septem continens præcepta, tota spectat ad proximum, vetatque ne quid injustitiæ bonis, famæ, honoris, & vitæ ejus inferatur; sed omne ipsius jus integrum illi, inviolatumque conservetur. (a) Hinc diligere proximum, est velle ei summum bonum, non per essentiam, sed per gratiam. Item, diligere proximum,

mum, eſt idem velle, & idem nolle in bono. Item diligere proximum, eſt ſucceſſivum bonum ei optare, & quærere. Item diligere proximum, eſt velle ei hoc, quod ſibi. Eſt differentia inter dilectionem DEI & proximi, quia Deum diligimus in ſe, & propter ſe, proximum vero diligimus in Deo, & propter Deum. Quando autem dicimus duplicem eſſe charitatem, ſcilicet Dei & proximi, hæc duplicitas non intelligitur quantum ad habitus, ſed quantum ad actus: quia uno habitu Charitatis diligitur Deus, & proximus. Itaque (b) debet homo diligere proximum, ſicut ſe ipſum, propter conformitatem naturæ, propter unitatem gratiæ, propter unitatem mercedis æternæ. Ad commendandam hanc dilectionem, voluit Deus, quod naſceremur ex uno Patre Adam, quod redimeremur eodem ſonguine, ſcilicet ſanguine, D. N. JEſu Chriſti,

qnod

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

quod remuneraremur eadem mercede.

2. (c) Magnæ dilectionis indicium in proximum oſtendit Abraham, dum ſolicite oravit Dominum, ut Sodomitis parceret, & Loth liberaret. (d) Tantam dilectionem erga proximos ſibi ſubditos habebat Moyſes, ut orans Dominum, diceret: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti. (e) Anima Jonathæ colligata erat animæ David, &c. dilexit eum quaſi animam ſuam. (f) Tobias Senior multis opera charitatis exhibebat, ideo multi diligebant eum; unde cum juſſus eſſet occidi à rege, latuit, & inventus non fuit. (g) Incredibili prorſus erga proximos Paulus afficiebatur charitate, quando pro ipſis anathema fieri optabat. (h) D. Petrus Apoſtolus præcipit dicens: *Ante omnia autem mutuam in vobismetipſis charitatem continuam habentes, quia*

cha-

charitas operit multitudinem peccatorum.

3. (i) B. *Joannes Evangelista* cum Epheſi moraretur, uſque ad ultimam ſenectutem, & vix inter Diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura vocem verba contexere, nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hæc: filioli, dilegite alterutrum. Tandem diſcipuli fratres, qui aderant, tædio affecti, quod eadem ſemper audirent, dixerunt: Magiſter, quare hoc ſemper loqueris? Qui reſpondit dignam Joanne ſententiam: Quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.

4. (k) D. *Joannes Chryſoſtomus* de ſe ipſo ſic ſcribit: vellem, ſi fieri poſſet, veſtris oculis oſtendere quam in vos habeo charitatem. Nihil eſt enim mihi vobis jucundius, & deſiderabilius, ne hæc ipſa quidem lux: millies enim optarem ipſe eſſe cæcus, ſi per hoc liceret veſtras animas con-

Knjižnica franjevačkog samostana u Subotici

convertere: adeo ipſa luce mihi eſt veſtra ſalus jucundior. Quid enim me juvant ſolares radii, quando, quæ propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas offundit tenebras? Lux enim tunc eſt bona, quando apparet in lætitia. Et paulo poſt: Implete gaudium meum, liceat vobis ſalutem aſſequi, me autem propter vos reddere rationem vobis dari ſalutem, me vero accuſari, quod meum munus non impleverim. Non enim curo, ut per me ſalvi ſitis, ſed ut ſalvi ſitis quacunque ratione.

1. (l) Tanta fuit *Pachomii* erga proximum charitas, ut cum vidiſſet mediocres homines in vicinis locis, dum paſceret pecora, non adire Eccleſiam, & communione, & doctrina, quæ dabatur Sabbatho, & Dominica, privari, iniit conſilium Piceriі Teutyrorum Epiſcopi, ut in vico eorum, jam pene deſerto, erigeretur

Ec-

Eccleſia, ad quam convenirent, & myſteria Divina perciperent. Qua conſtructa, cum non eſſet Presbyter, qui ſacra myſteria perageret, interim Pachomius ipſe cum Fratribus ad horam Conventus Eccleſiæ occurrebat, divinas ipſis prælecturus ſcripturas. In legendo vero tantam præſeferebat pietatem, & reverentiam, oculos quoque tam mentis, quam corporis ita habebat compoſitos, ut videntes eum populi, non hominem, ſed Dei Angelum crederent. Unde plures ejus inſtitutione ab errore converſi ſunt: Tanto enim proximi tenebatur amore, ut ſi quando vidiſſet aliquos Diaboli fraude deceptos, eosque non verum Deum colere, ſed variis ſimulacris inſervire, ſuper eorum perditione valde ingemiſceret, & uberes pro eorum ſalute lacrymas funderet.

6. (m) *Serapion Sindonites*, qui præter ſindonem nihil unquam indue-

bat,

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

bat, cum quendam accepiſſet exercitatorem, qui cum eo luderet, ſe in quadam urbe gentilibus vendidit hiſtrionibus viginti nummis. Tamdiu autem permanſit & ſervivit mimis, qui eum emerant, donec eos fecit Chriſtianos, & eos avulſit à theatro. Præter panem & aquam nihil ſumens, neque præ meditatione ſcripturam ore ſilens. Longo autem tempore primus compunctus eſt mimus, deinde mima, deinde universa eorum familia. Dictum eſt autem, quod quo tempore eum ignorabant, lavabat pedes amborum. Ambo ergo Baptizati à theatro receſſerunt, & cum ad vitam honeſtam, & piam proceſſiſſent, virum valde reverebantur. Ei itaque dicunt: Ades dum frater, nos te liberabimus, quandoquidem ipſe nos liberaſti à turpi ſervitute; dicit ergo eis: quandoquidem Deus eſt operatus, & ſalva facta eſt veſtra anima, vobis dicam

My-

Mysterium actûs: Ego animæ vestræ misertus, cum essem liber exercitator genere Ægyptius, ea de causa me ipsum vendidi, ut vos servarem. Quoniam autem hoc fecit Deus, & per meam humilitatem salva evasit anima vestra, accipite aurum vestrum, ut etiam aliis opem feram. Illi autem cum multum rogassent, & affirmassent, dicendo: Te tanquam Patrem, & Dominum habebimus, solum mane nobiscum, non potuerunt ei persuadere. Tunc dicunt ei: da aurum pauperibus, nam id fuit nobis causa salutis, sed saltem post annum nos invisas, & sic ab iis abiit in Græciam, & cum veniset in loca Lacedæmonis, audivit quemdam ex primis civitatis esse Manichæum simul cum tota domo, alioqui virum bonum. Et rursum se ipsum vendidit in primo actu, Et cum intra duos annos ipsum reduxisset ab hæresi, & ejus uxorem, adduxit eos ad

Ec-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

Si ergo jubet nos diligere inimicos noſtros, unde nobis dat exemplum? De ipſo Deo, ait enim: ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Quia ergo ad hanc perfectionem nos invitat Deus, ut diligamus inimicos noſtros, ſicut & ipſe dilexit ſuos, ea nobis fiducia eſt in die Judicii, quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo: Quia ſicut ille diligit inimicos ſuos, faciendo ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluendo ſuper juſtos & injuſtos: ita nos, quia inimicis noſtris non poſſumus præſtare temporalem ſolem & pluviam, præſtemus lacrymas cum pro illis oramus.

2. (b) *Joſeph* oſtendit ſe diligere fratres ſuos, qui eum vendiderant, cum ipſis dixit: Nolite pavere, neque vobis durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus, &c.

oſcu-

oſculatusque eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & ploravit ſuper ſingulos. (c) *Filii Iſrael* à Benjamitis læſi, non deſierunt propterea eorum excidium ululatu magno deflere, dicentes: Quare Domine Deus Iſrael factum eſt hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis? Et tribum illam exſtinctam inſtaurarunt. (d) *David* Rex inimici ſervo cibum præbet. (e) Idem oſtendit ſe diligere inimicum in planctu Saul. (f) *Elizæus* Propheta inimicos ad capiendum ſe miſſos, non tantum amavit, ſed menſam eis apponi præcepit, refectosque abire illæſos permiſit. (g) Cum cæpiſſent Iſraelitæ ducenta millia mulierum, & puerorum è Judæa, veſtitos, atque refectos ad propria remiſerunt.

3. (h) D. Aug. inquit: Ea eleemoſyna, nihil eſt majus, quam quod ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus igitur bo-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

num eſt erga eum eſſe benevolum, qui tibi nihil mali fecit. Illud multo grandius & manifeſtiſſimæ bonitatis eſt, ut tuum quoque inimicum diligas. & qui tibi malum vult, & ſi poteſt facit, tu ſemper ei bonum velis, faciasque quod poſſis. *S.* autem *Bernardus* ita loquitur: (i) Porro inimicum hominem, quoniam nihil eſt pro eo quod non diligit Deum, non potes quidem diligere tanquam te ipſum, qui Deum diligis: diligis tamen, ut diligat. Et paulo infra ſubjungit: De cætero nulli vel inimiciſſimo homini negari quantulumcunque affectum charitas ſane in hac parte ambitioſa permittit. Quis ſapiens & intelliget hæc?

4. (k) Veniam debemus inimico. Non ſolum Chriſtus voce ac exemplo præit: *Pater dimitte illis*, ſed omnes Chriſti imitatores. Rem oculis ſubjicimus: Anno Chriſtiano milleſimo quadrageſimo Joannes Gaulber-

bertus, Patria Florentinus, genere nobilis, armigero ſtipatus, Florentiam urbem patriam petivit, in anguſto colle obvium habuit cognati ſanguinis homicidam. Gaulbertus mox in iras aſſurgere, gladium ſtringere, & hoſtem parricidam velle confodere. Quid ageret miſer inter aram & ſaxum deprehenſus, ad genua irati procubuit, oravitque per Chriſtum JEſum Crucifixum, qui è cruce pro hoſtibus oraſſet, veniam daret delicto, & hanc unam noxam ignoſceret. Expugnavit animum brevis eloquentia. Joannes iram, & gladium ſtatim poſuit, hominemque, ut pater filium prodigum, complexus, in amicitiam recepit. Exemplum in tali gente obſtupeſcendum. Sub hæc Joannes in ædem Sacram Divi Miniatis abiit, & templi medio coram Icone Chriſti Crucifixi genua ſubmiſit. Hic imago certa fide oculorum, capite annuit, habuitque gra-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

bus, multaque veneni vi ſtatim interimunt. At Chriſtina ſui ipſius carnificis vicem dolens, Chriſtum precata, & ſerpentes in fugam convertit, & ab eis peremptum ad vitam revocavit, & eundem jam credentem ad certam beatitudinis ſpem erexit. En quò lucraremur animas, quam certa quotidie compararemus nobis trophæa, ſi Spiritum Chriſti & Sanctorum ſequentes, qui unus eſt, de Spiritu noſtro ſublimi remiteremus, & charitati inſudaremus.

[a] Ludov. Bloſ. c. 17. §. 5.
[b] Gen. 45.
[c] Judic. 21. 3.
[d] 1. Reg. 30.
[e] Reg. 1.
[f] 4. Reg. 6.
[g] 2. Parali. 28.
(h) D. Aug. in Enchir.
[i] S. Bern. in Cant. Serm. 1.
(k) Apud Sur. 9. Maji.
(l) Drexel. Tom. 2. Part. 3. c. 1.
(m) In vita ejus apud Surium Tom. 4.

CA-

zkvn.org.rs

CAPUT VII.

Antiquitas, Typi, & Officium Religioſorum.

1. (a) DE *Enos*, filio *Seth* memorat Scriptura, quod ipſe cœpit invocare nomen Domini. Unde colligunt Doctores, ab eo inſtitutum peculiarem aliquem, & ſublimiorem, quam eſſet religio vulgi, cultum. Nam ante Enos, certe *Adam*, *Abel*, & *Seth* Deum invocaverant : at iſte primus ſolemni ritu, & Cæremonia Divinum cultum auſpicatus eſt, in exemplum poſterorum : in quo ſane Religioſi inſtituti figuram fuiſſe probabiliter dici poteſt : ut in quo ad ampliorem perfectionem ſupra vulgum tendebatur.

2. (b) Vota Nazaræorum, qui ſe ipſos Domino conſecrabant, recenſita habes in Sacra Scriptura. Ad quorum exemplum etiam in Eccle-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ſia, quosdam ſe totos Divino cultui dediſſe teſtis eſt *Origenes*. (c) *Eliam* & *Elizæum*, ac filios Prophetarum, ſine uxoribus & poſſeſſionibus vixiſſe, eodem teſtamento veteri docemur de quibus D. Hieron. (d) in hunc modum loquitur: Filii Prophetarum, quos monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas prope fluenta Jordanis, & in locis derelictis, polenta & herbis agreſtibus victitantes. Nepotes quoque *Rachab* apud *Jeremiam* (e) commendantur, quod ex mandato patris domos non ædificarent, agros non ſeminarent, vinum non biberent, vitamque duriſſimam ducerent. Ipſosque ſuccedentium Monachorum figuram extitiſſe, ſcribit *S. Hieronymus*. (f).

3. *Joannes Baptiſta* inſuper Monachorum & Eremicolarum Pater, ac Princeps fuit, ut diſſerte tradit *D. Chryſ.* (g) Nam & converſatione, & victu, & veſtitu ſupra communem uſum,

uſum, aliorum, etiam Deo dicatorum perfectiorem vitæ formam expreſſit.

4. Sed & ipſemet Chriſtus Dominus, dum in ſolitudinem ſeceſſit, & quadragenarium jejunium ob ervavit, haud obſcure Monachorum inſtitutum præſignavit. Idem autem Salvator inter alia ſalutis monita, eam vivendi formulam præſcripſit, qua homines facilius ad vitam æternam devenirent. Nam (h) adoleſcenti interroganti, quid faciendo vitam æternam conſequeretur? poſtquam præceptorum obſervantiam ad id neceſſariam dixiſſet; & de eorundem obſervantia alter non laboraret, ut qui omnia à Juventute ſervaverat, addit: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, ſequere me &c. Ex quibus verbis juxta D. *Aug.* perfectio Chriſtianæ Religionis diſcitur,

5. (i) Tempore Apoſtolorum cœ-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

pit Religio multitudine credentium propagari. Ipſorum enim erat cor unum & anima una, neque quisquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes, adferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Et ne quis obſtrepat nullam hic promiſſionem, aut votum interveniſſe: contrarium ſuadet objurgatio *S. Petri*, facta *Ananiæ*, & *Saphiræ*, quod defraudaſſent de pretio agri venditi. Dicebat enim: Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? non es mentitus hominibus, ſed Deo. Statimque de utroque mortis ſupplicium ſumptum eſt. Quod certe neque dixiſſet *Petrus*, neque tam horribili pœna eos affixiſſet Deus, niſi interpoſita fuiſſet obligatio. Recte igitur de illo

zkvn.org.rs

lo ſæculo D. *Hieron.* ait: Talis primum credentium fuit Eccleſia, quales nunc Monachos eſſe videmus.

6. (k) Sequitur ex dictis, proprie Monachos non eſſe, niſi eos Religioſos, qui ſoli vitæ contemplativæ dant operam, quales ſunt Caſſinenſes, Ciſtercienſes, Carthuſiani, Camaldulenſes, atque alii id genus. Quod intelligentes S. *Bonav.* S. *Thomas*, & alii Doctores poſteriores, non vocant Monachos Franciſcanos, Dominicanos, & ſimiles, qui non ſoli contemplationi inſiſtunt, ſed in actione verſantur, juvantes Epiſcopos, & Clericos in Concionibus, & Sacramentis adminiſtrandis, ſed Regulares, & Religioſos appellant. Regulares quidem, quod certæ Regulæ vivendi addicti ſint, quo nomine paſſim utuntur Concilia. Religioſos autem, quod ſe totos Dei obſequio mancipaverint, ut recte S. *Thomas* (l) explicat. Religio enim eſt virtus, qua Deo debi-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

tum cultum exhibemus. Quare ſicut omnes boni Chriſtiani dici poſſunt Religioſi, ſi Deo ſerviant, ut eorum vocatio requirit, ita illi per antonomaſiam dicuntur Religioſi, qui nulli rei ſerviunt, niſi Deo.

7. (m) Quod olim à Sanctis illis Eremi cultoribus, Monachorum nomen derivatum ſciret magnus ille ſolitudinis amator *Antonius*, commiſſis ſibi fratribus dicere ſolebat: Quod piſcis in arido: hoc Monachus in oppido; proprium Monachorum (ſi tales re, ut nomine ſint) domicilium, locumve, clauſtrum, ac ſolitudinem reputans. Audi *Hugonem* de clauſtro animæ (n) ita differentem: Si monachus es, quid facis in turba? Si amas ſilentium, cur declamatoribus intereſſe delectaris? Similiter exhortatur S. *Hieron.* (o) dicens: Si vis eſſe, quod diceris, Monachus, id eſt, ſolus: Quid facis in urbibus, quæ

non

non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum.

8. Itaque (p) tria ſunt genera Religioſorum. Primi boni, ſecundi meliores, tertii optimi: Si ſummos in virtutibus fueris imitatus, cum ſummis in gloria collocaberis. Si medios, cum iisdem locaberis: Si infimos, etiam cum infimis poneris. (q) Religionis altus gradus eſt, diligenter ſervare omnia præcepta Religionis. Altior, ſervare omnia vota Religionis, non ſolum maxima, ſed & minima. Qui enim minima negligit, paulatim decidet. Altiſſimus, imitari optimos in Religione, & ipſis ſe conformare. (r) Item altus gradus eſt, relinquere res temporales. Altior re inquere omnes amicos, tam carnales, quam ſpirituales. Altiſſimus relinquere proprium ſenſum, & propriam voluntatem. Item altus gradus eſt, ſemper niti ad proprios defectus videndos, qui ſemper

pul-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

pullulant. Altior, niti ſemper ad creſcendum in virtutibus, & ſpiritualibus donis, ad conformandum ſe divinis moribus. Altiſſimus, ſemper dolere, quod non poſſit omnes defectus devincere, nec ſemper exercere virtutes.

9. (s) Religioſus debet amare communitatem. Videmus enim, quod plures homines, quando ſunt congregati, incedunt ſecurius, reſiſtunt fortius, ſolatiantur jucundius. Unde dicitur in Eccleſiaſte: (t) *Melius eſt duos eſſe ſimul, quam unum.* Videmus etiam, quod ſola candela per ventum extinguitur; ſed non ita de facili, quando cum aliis ardet: Sic plures congregati vinculo charitatis, juncti melius lucent per exemplum, vehementius ardent per deſiderium Divinum. Videmus præterea, quod non ſolus denarius, ſed plures faciunt theſaurum; non unus miles, ſed plures faciunt exercitum; non

unus

unus ſcholaris, ſed plures faciunt ſtudium; non unus bos, ſed plures trahunt jugum; non unum membrum, ſed plura faciunt corpus unum; non una apis, ſed plures componunt favum; non unum granum, ſed plura faciunt acervum; non una ſpecies, ſed plures faciunt electuarium: Sic cum plures ſunt uniti per amoris vinculum, eſt in eis abſque dubío major abundantia meritorum.

10. (u) Religioſus debet fugere & cavere proprietatem. Sicut enim veſpertilio bibit oleum in Eccleſia, ubí alii laudant Deum: Sic religioſus proprietarius, inſtar veſpertilíonis bibit, & furatur bona monaſterii, ubi alii vacant laudibus Dei & ſervitio. Sicut *Judas*, qui ſolus inter Apoſtolos pecuniam furatus eſt, ut dicitur in *Joanne*. Rurſus, ſicut ſtultus eſt, qui tempore tempeſtatis exit de navi, & projicit ſe in mare,

ita

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ita ſumma ſtultitia eſt tempore tentationis navem Religionis dimittere, & ad ſubmergendum ſe in mare ſæculi præcipitare. De talibus autem dicitur in actibus: (v) *Niſi in navi manſeritis, peribitis.*

II. (x) Religioſus inſtar plantulæ debet nutriri in diſciplina, vel Religione. Hortulanus fodit ſæpe circa plantulas, quæ ſunt in horto ſuo; quæ ſpiritualiter debent fieri novo Religioſo. Plantulæ vero de uno loco eradicantur, & in alio tranſplantantur, clauduntur, rigantur, purgantur, fodiuntur, & coluntur: Sic novitius debet inſtar plantulæ de mundo radicitus evelli, & in Religione tranſplantari, & in Sancto propoſito radicari, circumſpectione claudi, devotióne rigari, confeſſione purgari, exercitio, & occupatione fodi, & excoli. Et tales ſunt ſicut novellæ, plantationes in juvenrute ſua, ut dicitur in Pſal. 143.

(a) Gen. c. 4.
(b) Num. c. 9.
(c) Hom. 11. in Levit.
(d) Epist. ad Rustic.
(e) Jerem. c. 35.
(f] In Epist. ad Paulinum.
(g) Hom. 1. in Marcum.
(b) Matth. 19.
(i) Act. c. 5.
(k) Theat. vit. hum. tit. Monach.
(l) 22. q. 186. art. 1.
(m) Niceph. lib 18. c. 4.
(n) De Claustro animæ lib. 3.
(o) Super Psalm.
(p) S. Bonav. de prof. relig. lib. 1. c. 3.
(q) Idem in opusc. de grad. Virt. c. 21.
(r) Idem ibidem.
[s] Idem tom. 6. in Diæta salut. tit. 4.
[t] Ecclesiast. 4.
(n) Idem ibidem.
(v) Act. 27.
(x) Præf. auth. ibid.

o

CA-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

CAPUT VIII.

Virtutis via, & præſtantia, ejusque contraria.

1. (a) VIrtus aliud non eſt, quám vitiorum perfecta curatio, vel carentia vitii, ſecundum quod iſtam materiam reſpicit: Quia ſi vitium eſt motus inordinatus, aut affectus naturalis corruptus, ejus contrarium virtus eſt, affectus vel appetitus ordinatus ad id, & ſecundum id, ad quod à bono Conditore datus eſt. Hæc autem eſt virtutis etymologia: (b) Virtus dicitur quaſi vis intus. Et hæc vis conſiſtit in aggreſſione arduorum, in tolerantia adverſorum, & in abſtinentia placitorum. Item dicitur virtus quaſi *virror nitens*, quaſi *virum tuens*, quaſi *viribus nitens.*

2. (c) Cum virtus in medio conſiſtat, illud medium eſt in tribus, nimi-

nimirum, in agendis, in habendis, & in ſuſtinendis. In agendis videlicet intra, ſupra, & citra modum. De primo Apoſtolus inquit: (d) *Rationabile ſit obſequium veſtrum.* De habendis, nempe inter ſuperfluum & indigentiam, in Proverbiis (c) dicitur: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi.* De ſuſtinendis vero, nimirum inter elevari in proſperis, & dejici in adverſis, illud habeto: (f) *Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Proinde (g) quatuor dicuntur eſſe matres virtutum, nempe: fides origine, quia ex motibus fidei ſurgunt motus aliarum virtutum. Charitas educatione, prudentia regimine, humilitas conſervatione.

3. (h) Virtutes ſunt ſeptem, nempe quatuor Cardinales, & tres Theologicæ; hæque fides, ſpes, charitas; illæ autem: prudentia fortitudo, temperantia, & juſtitia. Differunt in-

ter

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ter ſe, quia Theologicæ habent Deum, vel bonum increatum pro fine, vel pro objecto. Præterea virtutes Theologicæ reſpiciunt magis vitam contemplativam, & ordinant hominem ad Deum: Cardinales vero pertinent ad vitam actívam, & ordinant hominem ad proximum.

4. (i) Quæſtio eſt Philoſophis, num uno actu acquiri poſſit habitus? Hanc litem relinquimus Scholæ, nec enim in virtutum officiis, viribus humanis omnia, ſed divinis metienda: & ſolet Deus tam Sanctæ actioni tantum gratiæ largirí, ut aliæ ab ea ſint facillimæ. Eapropter qui plurimum cupit in Sanctis actionibus proficere, & facilem ſibi reddere viam virtutis, his principiis ordiri debet: in iis potiſſimum ſe vincere, in quibus ut plurimum male vivax eſt; facile autem obſervabit quo ſui eum amores & cupidita-

tes

tes trahant, atque id maxime cavebit; etenim virtus, quod malignior natura refugit, quod horret, ad illud ſe maxime impellet, & excitabit. Proinde ut equos eo concitamus, quo minime volunt. Sunt equi formidoloſi & contumaces, qui aut trabem, aut pontem, aut funem dependentem refugiunt: Quod ubi ſtrenuus eques advertit, virga flagello, calcaribus ad eum ipſum, quem horrent locum, adiget: nec deſiſtit, dum aut concitant, aut pergant. Ita ſane homo Chriſtianus ſibi ipſi calcar admovet, perpellit ad ea, quæ natura delicatior averſatur, chariſſima quæque Domino libat. Nemo fortior, quam ſui ipſius victor; qui hanc artem aut neſcit, aut exercere negligit, in lyceo virtutis nunquam proficit. Antiochenus Martyr *Ignatius* dicebat: *Ego meipſum* urgebo, ut devorer. Ignoſcite mihi, filioli, quid mihi proſit, ego ſcio. Denique,

poſſe

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

posse sibi ipsi imperare, virtutis est compendium.

5. (k) Quocirca virtus comparatur ligno fructuoso; homo enim sine virtute, est sicut arbor Sylvestris, quæ profert labruscas, id est, delectationes carnales, Sed si ramus virtutis fuerit tali arbori insertus, totam arborem trahit ad naturam suam, & facit eam ferre fructus optimos, qui lætificant Deum, & Angelos Dei. Virtus comparatur etiam Paradiso Cœlesti, in quatuor. Est enim Paradisus ille habitatio Dei, locus gaudii, locus lucis, & locus ordinati amoris. Talis est anima viri justi, & virtuosi; nam ibi est habitatio Divinæ gratiæ, ibi est gaudium bonæ conscientiæ, ibi est lux veritatis, ibi est amor charitatis.

E converso, anima peccatrix non dicitur paradisus sed potius infernus: habet enim quatuor mala, opposita bonis supradictis. Ipsa namque est

ha-

habitatio non Dei, ſed Dæmonum: loco gaudii habet remorſum conſcientiæ; loco lucis habet tenebras ignorantiæ; loco amoris ordinati, habet ignem concupiſcentiæ. Rurſus, virtus eſt ſignum vel character prædeſtinationis. Sicut enim Paſtor ſignat oves ſigno, quo diſtinguit oves proprias ab extraneis: ſic Deus, qui eſt Paſtor animarum noſtrarum, ponit in ovibus ſuis ſignum gratiæ & virtutis, quo diſtinguit oves ab hædis.

6. (l) Porro, contingit nonnunquam, quod vitia ſe virtutes mentiantur, & velamen virtutis aſſumant: ut aut ſecurius diſſimulentur, & non arguantur, aut etiam laudem virtutis aſſequantur. Etenim ſilentium, triſtitia appellatur; maturitas, amaritudo; zelus juſtitiæ, temerarium judicium dicitur; quies devotionis, pigritia vocatur; corporis caſtigatio, indiſcretio cenſetur; ſimplicitas,

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ſtultitia creditur; timor Dei, litigioſa conſcientia æſtimatur; fugere publicum, ſingularitas vocatur; fugere ſcandalum, hypocriſis judicatur. Ecce! quomodo virtus proſcribitur, & perverſe vitium interpretatur. E converſo autem plerumque diſſolutio, ſocialis jucunditas putatur; Curioſitas ædificiorum & librorum, & aliorum, honeſtas habetur; Laxa conſcientia, libertas deputatur; corpus delicate fovere, diſcretio reputatur; garrulitas, affabilitas dicitur; invidia fraterna, zelus juſtitiæ; duritia & inclementia, rigor ordinis putatur; avaritia acquirendi, proviſio fidelis nuncupatur; aſtutia, prudentia nominatur; elatio, auctoritatis oſtenſio monſtratur; detractio, deteſtatio vitii alterius vult putari.

7. (m) Tria ſunt, quæ vitia à nobis expellunt, & virtutes operantur, videlicet gratia Dei: induſtria propria, & neceſſitas. Gratia Dei infun-

fundit virtutes: induſtria cooperatur gratiæ ex libero arbitrio, & neceſſitas convertit in virtutem. Sine neceſſitate frequenter, ſed ſine gratia nunquam poteſt eſſe virtus, & ſine libero arbitrii conſenſu. Unde ſicut arte medicinæ contraria contrariis curantur, ita vitia contrariis exercitiorum remediis ſanantur, ut ſuperbia humiliatione, gula ſobrietate, impatientia adverſitate, & ſic de cæteris;

(a) S. Bonav. de prof. relig. l. 1, c. 23.
(b) Idem in comp. Theol. verit. l. 5. cap. 5.
(c) Ibidem c. 6.
[d] Rom. 12.
(e) Prov. 30.
(f). Deut. 5.
[g] In comp. Theol. ver. c. 8.
(h) Præf. S. in Diæt. Salut. tit. 5. c. 1.
(i) Drexel. Tom 2. c. 19.
[k] In prædicta Diæta.
(l) S. Bonav. Tom. 7. l. 2. c. 51.
(m) Ibid. lib. 1. c. 14.

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

CAPUT IX.

Humilitatis definitio, gradus ad eam, ejusdem excellentia, atque exempla.

1. Hic quæstio nobis nascitur haud facilis: quid est humilitas? In re omnium notissima vix reperio responsum, quod undequaque satisfaciat. Narrat *Climacus* (a) religiosissimorum hominum convenisse senatum, in quo hæc ipsa quæstio ponebatur discutienda: Quid est humilitas? Varii ea super re varia. Primus sententiam rogatus, dixit: Humilitas est recte factorum intentissima oblivio. Alter: Humilitas est animi contriti sensus. Tertius dixit: Humilitas magnum opus est, & Divinum; via autem humilitatis hæc est ut se ipsum quis subjectum omnibus ponat. Hoc vero est subjectum esse omnibus: ut non attendat aliena peccata,

cata, ſed ſua ſemper aſpiciat, & pro iis Deum ſine intermiſſione deprecetur. Alii alia: demum unus aliquis: Humilitas, inquit, eſt gratia ſinè nomine. Ibi nominis aliquid acquirit, ubi noſcitur. Præceptor è cœlo, humilitatis magiſter: (b) *Diſcite*, inquit, non ab homine, non ab Angelis, ſed *à me*, non aurum, aut gemmas creare, non mundum fabricare, veł in mundo mirabilia facere, non mortuos ſuſcitare, ſed *quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Itaque Humilitas, auctore D. *Bernardo*, (c) eſt virtus, qua homo veriſſima ſui cognitione, ſibi ipſi vileſcit.

2. Gradus Humilitatis variis modis aſſignari poſſunt. (d) Primo, ex parte objecti, cui ipſa ſe ſubjicit. Sic gloſſa in illud: (e) *Sine modo, ſic enim decet nos implere* &c. conſtituit tres gradus. Primus eſt, ſubdere ſe majori, & non præferre ſe æquali. Se-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

cundus eſt, ſubdere ſe æquali, nec præferre ſe minori. Tertius eſt ſubjicere ſe minori. Primus eſt ſufficiens, ſecundus abundans, in tertio eſt omnis juſtitia.

Per Primum ſubjicimus nos omnibus ſuperioribus tam ſæcularibus, quam Eccleſiaſticis, atque clauſtralibus, debitam obedientiam illis præſtantes. Cum æqualibus vero ſocialiter, & æqualiter vivimus, nolentes illis præferri, aut majores videri, nec ad noſtrum ſenſum, aut modum eos pertrahere.

Per Secundum ita nos æqualibus ſubjicimus, ut eos nobis in animo præferamus, eos honoremus, honoratiorem locum libenter concedamus, & facile in rebus honeſtis illis accommodemus.

Per Tertium præponimus nobis inferiores, tum interius in animo, tum etiam exterius, quando id decorè fieri poteſt, libenter profitendo

illos

illos nobis doctiores, ſanctiores &c.

3, Secundo, aſſignari poſſunt humilitatis gradus juxta naturalem ordinem actionum, quibus ad perfectiſſimum humilitatis actum aſcenditur. Hoc modo S. *Anſelmus* (f) gradus ſeptem proponit 1. contemptibilem ſe eſſe cognoſcere. 2. De hoc gaudere. 3, Hoc profiteri. 4. Perſuadere aliis. 5. Suſtinere patienter hoc dici. 6. Pati contemptibiliter ſe tractari. 7. Hoc amare. S. *Bernardus* in ſuis Sententiis ita ſcribit: Quinque gradus deſcenſionis habet humilitas: abdicationem rerum, exemplo Apoſtolorum: abdicationem veſtium, ſicut Elias, & Joannes: Corporis exercitium, ut Paulus: directionem in proſperis, inſtar David pauperis, & Regis: Patientiam in adverſis, ſicut Job & Tobias. Et paulo poſt: humilitatis virtus habet hæc tria. Superiori ſubdi, ut ad ejus æqualita-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

tem nulla ambitione, vel invidia rapiatur. Æquali non præferri, ne illicito appetitu ſuperior velle ſieri videatur. Minori ſubdi potius, quam præponi, ut ex hoc humilitatis veritas comprobetur.

4. Excellentia humilitatis in eo ſita eſt, quod inclinet nos ad Deo ſubjiciendum in omnibus, & noſtris ſuperioribus tanquam inſtrumentis Dei. Exclamat & merito S. *Auguſtinus*: (g) *O medicinam omnibus conſulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabeſcentia reficientem, omnia ſuperflua reſecantem, omnia depravata corrigentem! Quæ ſuperbia ſanari poteſt, ſi humilitate Filii Dei non ſanatur? Quæ avaritia ſanari poteſt, ſi paupertate Filii Dei non ſanatur? Quæ iracundia ſanari poteſt, ſi patientia Filii Dei non ſanatur?* Idem: (h) *Excelſa eſt Patria, humilis eſt via. Ergo qui quærit patriam, quid recuſat viam?* Et iterum: (i) *O Sancta venerabilisque humilitas! Tu DEI Filium,*

lium descendere fecisti in uterum S. Mariæ Virginis. Tu eum fecisti involvi vilibus pannis, ut nos indueres virtutum ornamentis. Tu eum circumcidisti in carne, ut nos circumcideret in mente. Tu eum corporaliter flagellasti, ut nos à flagello peccati liberaret. Tu eum coronasti spinis, ut nos coronaret suis æternis rosis. Tu eum infirmare fecisti, qui medicus cunctorum erat, solo verbo sanans omnia. Vere excellens est virtus, quæ possidentes se beatos facit. *Beati pauperes Spiritu*, hoc est, humiles, inquit prælibatus S. (k) Adde, quod eam SS. PP. dicant, virtutum omnium fundamentum (l) caput, (m) Matrem, (n) Magistram, (o) Thesaurum, (p).

5. Humilitatis denique utilitatem ex hoc æstimare potest quisque, quod apud Deum omnia possit, habeatque expeditum semper aditum ad thronum ejus. Nam *Oratio humiliantis se*, inquit Sapiens, (q) *nubes penetrabit*:

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

& donec propinquet, non consolabitur. Et Juditha: (r) *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Jacobus vero Apost: (s) *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* His accedit, quod ait quidam non ignotæ vir sanctitatis: Si quæ in terra pax, inquit, esse potest, hanc possidet puri demissique animi homo. Tandem ut paucis multa complectar. Qui se humiliat, exaltabitur, dixit *Christus*, (t) ut nimirum ita illi simus per omnia similes in hac, & altera vita: atqui vero ille (u) *Humiliavit semetipsum* [in hac vita] *factus obediens usque ad mortem: Mortem autem Crucis. Propter quod, & Deus exaltavit illum* (in altera vita) *& donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine JEsu omne genu flectatur Cœlestium, terrestrium, & Infernorum.* Ex quo hæc in Schola Christi consequitur indubitata & fixa veritas. Quantum se quisque demiserit in ter-

terra, tantum à Deo efferetur in cœlo. Ut bene in hoc, radici comparetur humilitas, quo enim illa deprimitur profundius, hoc assurgit ex ea arbor altius, latioresque fructus affert: Sic altæ substructiones profundis egent fundamentis, illas si firmiter stare velis? Quare bene etiam Aug (v) *Magnus esse vis? à minimo incipe: Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis.*

6. (x) Primum, & omnium absolutissimum veræ humilitatis exemplum, qui illius fuit primus & accuratissimus Magister, Chsistus Dominus, jam supra delibavimus. Ad Christum proxime, accedit Sanctissima ejus Mater Maria integerrima virgo, ex qua alterum eximiæ demissionis exemplum sumamus. Quanta in illa fuerint omnium virtutum ornamenta, & decora, etiam me tacente, sat sciunt, qui Matrem DEI

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

non ignorant: Et tamen quam demisse ipsa de se senserit, quam sibi fuerit vilis, quam ad omnem laudis mentionem erubuerit, quam fugerit honorem, indicio est tota ejus, quam inter mortales egit, vita. Angelus Cœlesti gratia plenam prædicabat, Matrem Dei designatam nunciabat: illam contra suo demisso pudore suffundebat, ancillam offerebat, & ut talem se præstaret. (y) *Cum festinatione exurgens, abiit in montana Judæ*, famulatum Deo in famula ejus Elisabeth. Jam quantæ illud quoque erat humilitatis, Deum hominem brevi parituram, omnium, etiam sanguinis necessitudine conjunctorum domibus exclusam, non gravate, non indignanter pervium ventis mapale, fætens stabulum subiisse, ibi DEI Filium, natum suum, in lucem edidisse, & vilibus exceptum pannis, in præsepi inter pecora collocasse. Quin & brevi Herodis impiam crudelita-

tem

tem declinantem, patria extorrem in Ægyptum ad barbaras gentes aufugisse? Ac tandem Filium instar latronis, non humanis modis habitum, in cruce infami supplicio morientem conspexisse.

7. (z) Deus altioribus S. Francis-cum Assisinatem dignum judicabat fastigiis, secundum quod uni fratri, viro virtutis & devotionis præcipuæ, visio cœlitus ostensa monstravit. Cum enim esset in comitatu viri Dei, & una cum ipso in quadam Ecclesia deserta ferventi oraret affectu, in ecstasi factus, vidit inter multas in cœlo sedes, unam præ cæteris dignio-rem, pretiosis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem. Miratus intra se præcelsi refulgentiam throni, anxia cœpit cogitatione requirere, quis ad illam deberet assumi? Audivit inter hæc vocem dicentem sibi: Sedes ista unius de ruentibus fuit, & nunc humili Servatur Francisco. Re-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

versus demum frater ad se ab orationis excessu, virum beatum exteriu s prodeuntem solito fuit more prosequutus. Cumque incedentes per viam de Deo invicem loquerentur, frater ille visionis suæ non immemor, solerter ab ipso quæsivit, quid de se ipso sentiret? Ad quem humilis Christi servus: Videor ait, mihi maximus peccatorum: cui cum frater diceret ex adverso, quod hoc non potest sana conscientia dicere, nec sentire; subjunxit: Si quantumcunque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosequutus, arbitror sane, quod multo quam ego, Deo gratior esset. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu, de veritate visionis ostensæ, Evangelio sacro testante, cognoscens, quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus ejicitur, vere humilis exaltetur.

zkvh.org.rs

8. (aa) In hæc lucidiſſimæ humilitatis ſpecula intuentes, tot omnis ætatis, conditionis, ordinis, ſexus homines, quid mirum eſt, ſi & ipſi ſe demiſerint? Meminimus ſummum Pontificem Gregorium, Regem Galliæ Ludovicum, Helenam Imperatricem pauperibus quos menſæ adhibuiſſent, miniſtraſſe, aquam lavandis manibus infudiſſe. cibum potumque præbuiſſe. Hedvigem vero Poloniæ Principem, Sanctiſſimam Conjugem non illa modo obſequia præſtitiſſe, ſed ipſa etiam pauperum veſtigia, ſi quando ſine arbitris id ſe poſſe crederet, deoſculatam fuiſſe.

(a) Climac. gradu 25.
(b) Matth. II. v. 29.
(c) Lib. de grad. humil.
(d) Theatr. vit. hum. verb humilitas.
(e) Matth. 3.
(f) Lib. de Similit.
(g) De verb. Domini.
(h) Ad Dioſcor.
(i) Serm. de Superbia.

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

(k) Pedag. Chriſt p. 741.
(l) Caſſian. Collat. 15.
(m) Ambr. in Pſal. 118.
(u) Greg. mon. c. 17.
(o) Id. Ibid.
(p) Bernard. Serm. de vigil. D.
(q) Eccleſ. 15. v. 18.
(r) Judith. 9.
(s) Jacob. 4. v. 1. Petri 5. v. 5.
(t) Luc. 14. & 11.
(u) Philip. 2. v. 8.
(v) Serm. 10. de verb. Dom.
(x) Pedag, Chriſtian. p. 745.
(y) Lucæ 1.
[z] S. Bonav. in vita c. 6.
(aa) Pedag. Chriſtian. p. 746.

CAPUT X.

Memoria Paſſionis Dominicæ, ejusdemque fructus.

1. SEmper in memoria Chriſtiani Chriſti paſſio eſſe debet, in qua quatuor ſunt cogitanda, (a) nimirum dilectio ejus, reamando; amaritudo ejus, compatiendo; fortitudo ejus,

ejus, adverſa patienter ſuſtinendo; & utilitas ejus, gratias agendo. (b) Paſſionem Chriſti in corde rumines quotidie. Hujus enim paſſionis meditatio continua mentem elevabit, quid agendum, quid meditandum, quidve ſciendum, & ſentiendum ſit, indicabit: te demum ad ardua inflammabit, te vilificari & contemni, & affligi faciet: affectus tuos tam in cogitatione, quam in locutione, ac etiam operatione regulabit.

2. S. *Paulus* exhortatur, dicens (c) *Induite vos armaturam DEI, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli.* (d) Iſta armatura, qua debemus indui ad hoc, ut poſſimus ſuperare diabolica tentamenta, eſt memoria paſſionis Chriſti: quæ ſi ad memoriam affectuoſe reducatur, omnes dæmones cum tremore effugantur, ſecundum quod experientia me docuit pluries.

3.

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

3. (e) Si peccator es, acerbiſſimam & ignominioſiſſimam paſſionem conſidera, ad deteſtandum peccatum & horrendum; quia ipſe pro peccatis noſtris mortuus eſt. Si incipiens, & pœnitens es, conſidera illam paſſionem ad exemplum pœnitentiæ, & ſatisfactionem habendam. Si es proficiens, conſidera illam paſſionem ad ejus effectus rimandum, & ruminandum, in quo multum proficit homo. Si es perfectus, conſidera illam paſſionem ad Chriſto, & Matri ejus intime compatiendum, & totum te in illam paſſionem transformandum. Si tu es in juſtitia conſumatus, conſidera illam paſſionem ad Dei dilectionem & dignationem erga nos admirandam. Nullus ergo ſe excuſet quin hic inveniat ſuum pabulum, quin hic inveniat portum, domicilium, & centrum ſuum.

4. (f) Tria ſunt, in quibus tua conſiderationes circa mortem Salva-

toris

oris noſtri ſpecioſiſſime ſpeculantur: pus, modus, & cauſa. *Opus*, ut ipſam paſſionem ſicut facta à Sanctis Evangeliſtis narratur, ſtudioſe & devote mente pertractes, & invenies Chriſti mirabilem patientiam, & excitaberis tu ad compaſſionem &c. Cum legeris, vel in mente revolveris, quomodo Chriſtus fuerit flagellatus, deriſus, illuſus, conſputus, crucifixus, &c. Noli ſolum cogitare de pœna exteriori: Sed ita Dominum JEſum reſpice in talibus pœnis, quaſi hominem Deum exterius ſumma pœnalitate afflictum, & etiam ultra quam humana mens comprehendere poteſt; interius tribulatum, & doloroſum. Et vere ſi ita reſpicis Chriſtum in quavis tribulatione, ſi non condoles, valde mirandum eſt.

Circa *modum* autem patiendi ſi diligens fueris, & devote rimaris, invenies præcipue humilitatem, mititatem,

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

tatem, & generaliter omnium virtutum exemplar imitandum. Ut autem modum patientis Christi in te melius sentias, debes in omnibus, quæ de passione Christi legis, vel cogitas, semper in mente tua revolvere, quomodo Christus se habuit in verbis, in responsionibus, in factis, in pœnis: quomodo se habuit tam interius, quam exterius, & quomodo illa prout loco, & personis congruebat, optimo modo formabat. Et hoc poteris in Evangelio invenire, vel certe si ibi non est expressum, ex te ipso forma. Nam nullus Christianus ignorat, quin in omnibus optimo modo se habuit.

Circa *causam* ita semper lege, & cogita de passione Redemptoris tui, ut scias, quia tu es causa. Passus est enim propter tuam redemptionem, illuminationem, justificationem, & glorificationem. Ita semper atrahe tibi hoc beneficium, quasi sit pro te

solo

ſolo paſſus. Ita cogita ſemper, ut quidquid legeris, vel cogitaveris, quaſi dicat Chriſtus: hoc feci, ut ſequaris veſtigia mea, te humilies, patiens ſis, tollas crucem tuam, & ſequaris me, quia non eſt ſervus ſuper Dominum ſuum.

5. (g) Interrogatus olim S. Elzearius Ariani in Provincia comes, à Delphina conjuge, unde hoc haberet, quod nulla unquam in re, nulloque caſu, vel aliquod perturbati, vel irati animi ſignum daret? Reſpondit, ſe, quotieſcunque aliquid adverſi accideret, memorem fieri quantas injurias Chriſtus toleraſſet, atque ita omnem iram ſubito deferveſcere.

6. (h) S. Franciſco olim quodam in loco obambulanti recurrerat animo, quam pauci mortalium Chriſti paſſi memoriam recolerent, cumque ob id profuſiſſime lacrymaretur, à quopiam doloris cauſam rogatus,

Eheu!

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

Eheu! inquit, altum cum ſingultu clamans: Deus & Dominus meus dulciſſimus JEſus, nullo ſuo merito, tanta, tam indigna paſſus eſt, & vix aliquis eſt, qui tantum gratus beneficium agnoſcens, hanc illius paſſionem, cujus unica cauſa omnes ſumus, ſemel mente ſua recolat.

7. Vulgatiſſimum eſt, corpori S. Franciſci divinitus fuiſſe impreſſa quinque vulnera Chriſti, & è carne ipſius mirabiliter clavos ad manus ac pedes conformatos. (i) Chriſto Doctore, didicit quidam ex ejusdem S. Franciſci familia religioſus, quam efficax ſit ad ſuperandas tentationes Sanguinis Chriſti pro nobis effuſi recordatio. Bonus ille vir, ante ſuum in Religionem ingreſſum, ita cupediis, & cujuſcunque generis lautitiis, veſtium, & ſtrati ſplendore, ac mollitie aſſuetus longo uſu erat, ut nova illi jam cæptæ vitæ ratio, in

qua

qua dura, & aſpera omnia in cibo, veſtitu, lecto, intolerabilis videretur. Ergo brevi plane victus, cum diſceſſionem pararet, ac forte per capituli, ut vocant, locum tranſiens, flexo de more genu, Crucifixum adoraret, opemque implorar-t, ecce tibi, mente raptus, Chriſtum videre ſibi videtur, qui Sanctiſſima Virgine Matre præſente, cauſam diſceſſionis poſtularet. Quam cum ille ingenue faſſus eſſet: Age, reſpondit Chriſtus (lateris vulnus recenti cruore manans præbuit) huc manum affer, & digitos intinge, erit hic rebus iſtis, quas tibi tam aſperas fingis, nunc & in futurum ſemper lenimen. Rediit ad ſe Religioſus, hocque uſus deinceps remedio, res omnes ante moleſtiſſimas, & intolerabiles, tulit & libenter & ſuaviter.

8. Huc, huc quisquis aut tentatione aliqua pulſaris, aut moleſtia affligeris, in hoc Divinum latus, amo-

ris

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ris apothecam confuge, & moleſtum amatorem dulciſſimo amoris ſucco dilue. Quod ſi etiam injuriis, probris, calumniisque impetaris, eſt hic, unde te ſolari queas: teſtabitur id exemplo ſuo S. Petrus Martyr, illuſtre Dominicanæ familiæ lumen.

(k) Cum illo viſæ erant aliquando tres cœlo lapſæ virgines, cubiculo colloquentes, delatus eſt ad ſuperiorem, quod neſcio quas mulieres in cellam admiſiſſet, id cum Petrus non negaret, & magnum ſe peccatorem faſſus, cœleſtes hoſpites ſilentio tegeret, ad Eſinum Cœnobium relegatus eſt: ibi cum nocte quadam in templo coram Crucifixi Imagine ſuum triſtis ſecum dedecus animo agitans, amice cum Chriſto quereretur, & diceret: *Quare bone JEſu permittis, ut tanta ignominia ſervus tuus innocens afficiatur?* Chriſtum audivit de cruce reſpondentem: *Et ego, quid feci,*

feci, ut tot, ac tantis onerarer opprobriis, & morte turpissima damnarer? Ex me disce opprobria, & ignominiam patienter ferre. Erubuit, nimirum ad hanc vocem Petrus, nec deinceps amplius queri sustinuit.

9. (l). Memoriæ Christi pro nobis passi efficacitatem à P. Petro Fabro S. Ignatii primo socio, didicit olim Valisoleti vir primarius: cum enim à Patre orandi meditandive modum aliquem, ad spiritualem animæ profectum utilem postulasset, hæc quatuor ab eo puncta accepit, secum studiose ruminanda. 1. *Christus Dominus noster fuit rerum omnium egenus, & ego omnium dives.* 2. *Christus esuriit, & ego laute vivo.* 3. *JEsus Salvator meus nudus est, in cruce pendet, & ego splendide vestitus incedo.* 4. *JEsus laboribus & doloribus oppressus satisfcit, & ego delicatus pati nihil valeo.* Audivit hæc vir ille, sed quia majora à Patre expectaret, non magni

 fecit,

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

fecit, donec poſt dies aliquot, illi inter convivas alicubi verſanti, propoſita à Fabro puncta, tanta ſe vi objecerunt, atque animum affecerunt, ut cum lacrymas opprimere non poſſet, de convivio ſe, & convivantium ſocietate ſubducere ſit coactus, quo animum in pios, pii doloris affectus, & oculos in lacrymas ſolveret, laxaretque liberius.

10. (m) Unam paſſionis Dominicæ, & amoris illius immenſi, ex quo Dominus paſſus eſt, quotidie, licet non magno admodum ſtudio, uſurpatam memoriam, ad æternæ vitæ beatitudinem, & quam plurimas Divinæ miſericordiæ prærogativas impetrandas, vim maximam habere, dixit non ſemel venerabilis Anna à S. Bartholomæo.

11. (n) Quam ferventi devotione, & amore Chriſti paſſionem Coleta virgo, Ord. S. Claræ religioſa, coleret, ſic habet Stephanus Juliacus, ejus vi-

tæ

tæ Scriptor, & contemporaneus: Cœpit id ætate adhuc tenera, à matre ſic inſtituta, quæ profecto & timebat, & amabat Deum, quotidieque cum lacrymis, & gemitibus dicebat preces, de Salvatoris paſſione multum condolens, injuriis, & pœnis, quas ille pro humani generis redemptione libentiſſime toleravit, Eas autem preces Coleta puella diligenter attendens, adeo memoriæ mandavit, ut deinceps earum non potuerit oblivisci. Itaque quotidie hora meridiana, qua Chriſtus cruci affixus eſt, angores cordis ſentiebat vehementiſſimos cum Chriſto acerbiſſime patiente, utque eos ſecretius, & devotius proferret, libenter ea hora ab aliis ſe ſubducebat hominibus, atque ita ſola manens, omnes animi vires intendebat ad cogitandas injurias, perſecutiones, convicia, opprobria, horrendam & ignominioſam mortem, quæ Chriſtus deſiderio ſalutis

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

noſtræ patienter, & cupide perpeſſus eſt. Porro in ejusmodi meditationibus ſæpiſſimè extra ſe rapiebatur, & in Deum transformabatur ardentiſſimo deſiderio & amore: at præcipue tamen ſextis feriis ab hora ſexta matutina uſque ad horam ſextam veſpertinam, mane audita Miſſa, nihil interim manducans, aut bibens, tam erat ardenter, & efficaciter Dominicæ commemorandæ paſſioni intenta, ut ſæpe numero præ doloris vehementia in manibus, pedibus, & latere ſuo ſibi revera videretur clavis, & lancea confixa: Ecquis vero poſſet lacrymarum imbres, & anxios gemitus exprimere, quibus illa occupabatur tota hebdomada, quam Sanctam vocamus: In ipſa enim ejus ſtudioſa juventute ſpecialis quædam ei collata erat gratia circa Domini paſſionem. Cum enim aliquando ferventer, & profunde commeditata fuiſſet, Chriſtus

ei

ei apparuit, indicavitque familiariter modum, quo paſſus eſſet, & ut ſingulis membris ſuis ſingulares pertulerit cruciatus, humanæ ſalutis amore. Inde vero Coleta vehementiſſimum quemdam concepit cordis dolorem, & anguſtiam: ac nihilominus ardore quodam amoris & devotionis erga Chriſti paſſionem in tantum accenſa fuit, ut ſæpius reminiſcens hujus viſionis & crudelium pœnarum, quibus affectum viderat corpus innocentiſſimum Salvatoris, plane deſtitueretur viribus, nihilque prorſus exterius ſentiret, in ſtatum alium transformata. Atque ita in Sancta hebdomada multa ei Divinitus præſtabantur ſane memorabilia. Cum enim recitarentur paſſiones Chriſti in miſſis coram ipſa, uti fieri ſolet, dolores, quos paſſus eſt Dominus in corpore ſuo, adeo renovabantur in corde & corpore illius ut nunquam ſic viſa fuerit mulier laborare

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

parturiendo, quantum ipſa videbatur condolendo.

[a] S. Thom. in opuſc. de ven. Sacram.
[b] S. Bonav. 1. p. Stim. amoris c. 2.
[c] Ephes 6.
[d] S. Bonav. Serm. 3. Dom. 13. poſt Pentecos.
[e] Idem 1. p. Stim. amoris c. 15.
[f] Idem in faſcicul tom. 7. c. 8.
(g) Surius 22 Sept. c. 23.
(h) Chron. S. Franc. p. 1. l. 1. c. 203.
[i] Ibid. 2. p. l. 4. c. 10,
(k) Bzovius tom. 3. Annal. Eccleſ. Anno 1217.
(l) Paulus de Barry Com. 1. an Sanct. p. 1. c. 8.
[m] Idem ibid. c. 7.
(n) Ex Stephano Juliaco Surius tom 2.

CAPUT XI.

Quid gratia, quæ ejus vis, ſigna, pulchritudo, pretium?

1. GRatia habitualis (nam de illa nobis ſermo) qualitas quædam

dam eſt ſupernaturalis, animæ divinitus infuſa, quæ illam in inſtanti temporis Deo gratam, & amicam efficit. Porro hæc gratia per Eccleſiæ Sacramenta (a) à Deo tribuitur, (b) bonorumque operum exercitio conſervatur, vel utrisque incrementa capit.

2. Jam gratiæ quoque mirabiles effectiones accipe, inque iis dignitatem ejus eximiam intuere. 1. Dat vitam animæ. (c) *Mortuus erat & revixit.* 2. Ab omni ſcelerum fœditate expurgatum animum nive candidiorem efficit. (d *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Miramque affert odoris fragrantiam. (e) *Quaſi balſamum non mixtum odor meus.* (f) *Odor filii mei ſicut odor agri pleni.* 3. Pulchritudinem inducit, qua inter cæteras res creatas major eſſe non poteſt: (g) *Quam pulchra amica mea, quam pulchra es? pulchræ ut Luna, electa ut ſol.* Imo & (h) *ſpecioſior ſole, & ſuper*

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. (i) *Electorum quippe animæ,* ut asserit S. Gregor. *omne humanum genus, quod in terra secundum hominem conversatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt.* 4. Momento temporis ex paupere & calamitoso, Regibus omnibus & Dynastis efficit ditiorem. Nam gratiæ Divinæ gradus vel minimus, teste Doctore Angelico, (k) cum sit Divinitatis quædam participatio: (l) *Divinæ consortes naturæ* (sicut loquitur D. Petrus) efficiens, universis mundi divitiis & thesauris longe præstat. 5. Ex filio & cohærede Luciferi inferni hærede, filium Dei, hæredem cœli, & cohæredem Christi instituit. (m) *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus!* (n) *Si filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Tandem anima per gratiam fit sponsa, & templum Spiritûs Sancti, SS. Trinitatis domicilium.

3.

3. Quid plura? quemadmodum ubi Rex eſt, ibi Regis curia, & Regnum eſt, ita ubi eſt gratia Dei, ibi & Dei Regis ſummi curia, & regnum ſit, neceſſe eſt. (o) *Regnum Dei intra vos eſt*, dicebat Chriſtus diſcipulis ſuis. Et alibi: (p) *Si quis diligit me* (quaſi diceret, ſi quis mea gratia pollet, gratia enim & charitas quibusdam res una eſt) *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

4. S. Baſilius (q) tria dat ſigna inhabitantis gratiæ & juſtitiæ. Primum, odium peccati. Secundum, mortificationem carnis, & omnium malarum cupiditatum. Tertium, zelum ſalutis proximi ex amore Dei provenientem, qualem habuit D. Paulus dicens: (r) *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandaliſatur, & ego non uror?* S. Greg. (s) *Mens, quæ Divino Spiritu impletur, habet evidentiſſima ſigna ſua, virtutes ſcilicet,*

Knjižnica franjevačkog samostana u Subotici

est, & humilitatem: Quæ si utraque perfecte in una mente conveniunt, liquet quod de præsentia S. Spiritûs testimonium ferunt. S. Leo (t) hæc tria gratiæ & sanctitatis assignat indicia. Primum, humilitatem; secundum, injuriarum condonationem. Tertium, ea tribuere, quæ sibi cupit impendi. *Quisquis* ait, *hujusmodi est, Deum rectorem & habitatorem sui non dubitet,* videlicet ita, ut non pendeat animi, sed probabiliter id credat.

5. (u) Anno Domini 992. magnus ille Osvaldus Uvigorienſis Episcopus, ubi sedisset annis triginta, ex hac vita sic migravit in cœlum. Die quadam (ait fidelissimus Scriptor vitæ ejus) egressus cum suis ex Oratorio sub dio stans, in cœlum intentissime oculorum aciem defixit, Christum, quem inspirabat, pio corde & ore attentius orans. Nec vero oculos, ut fit, cito retraxit, sed proinde ac si novi quidpiam cum summa animi vo-

voluptate contemplaretur, diutiſſime in eo, quod intuebatur, defixus fuit. Rogatus, ecquidnam videret, ita reſpondit: contemplor id, quo tendo, idque craſtino die etiam me tacente, res ipſa vobis declarabit. Æterna namque beatitudo, cujus cauſa hucusque laboravi, jam inſtat. Nec ante craſtina occumbet lux, quam me in eam Dominus meus, ſicuti eſt pollicitus, introducat. Reverſusque in Oratorium, convocatis Fratribus, hortatur eos, ut impendant ipſi miniſterium ſacræ unctionis, cum viatico Dominici Corporis. Nocte ſequente oblitus adverſæ valetudinis ſuæ, in templum ſe contulit, officium Divinum explevit, & aliqua noctis ſpatia in Dei Laudibus expendit. Mane, ſolito more, linteo præcinctus, pedes pauperum lavit, atque extergens, quindecim Pſalmis, quos in illo miniſterio dicere ſolebat, perſolutis ſubjunxit, *Gloria Patri & Filio.*

Knjižnica franjevačkog samostana u Subotici

Cumque pauperes pro more gratias agentes ſurgerent, ille autem diceret, *Spiritui Sancto*, ante illorum pedes in manus Chriſti Spiritum reddidit. Cum autem corpus ejus ad Eccleſiam, quam conſtruxerat, deferretur, nivea columba de cœlo deſcendens, expanſis alis, lento volatu illud protegere viſa eſt. Ignea quoque ſphæra cœlitus lapſa ſuper feretrum apparuit, depoſitoque ante Altare ſacro corpore, viſio illa tanquam locum ſepulturæ ejus deſignatura, ad auſtralem Eccleſiæ plagam juxta Altare divertit, ſicque ab oculis intuentium ſubducta eſt. Ex his quæ circa beatiſſimum hunc Antistitem in vita & exitu ejusdem contigerunt, vis & efficacia gratiæ ſanctificantis pateſcit.

6. (v) S. Franciſcus quamvis abeſſet à loco, in quo ejus diſcipuli, & Spirituales Filii adunati erant, & ipſi omnibus occluſis aditibus intus latebrent:

rent : Affuit tamen igneo curru invectus, ac ter illud domicilium circumdedit. Supra ejus caput micabat nubes lucida, in modum ſolis globoſa, nec ſecus ac ſol emittens fulgorem ingentem. Eodem modo inſigni luce coruſcus aliquando in locis ſemotis viſus eſt verba facere cum JEſu, Maria, & Joanne Evangeliſta, innumeris Angelis præſentibus. Rurſus cum loqueretut de rebus cœleſtibus ad menſam, ii, qui aderant, abſtracti ſunt omnes à ſenſibus, viſa omnia circacircum ardere, & ingens undique incendium excitari. Accurrunt undique Aſſiſinates, ignem nullum vident, cuncti in obtutu divinorum defixi. Ji pretioſiſſimi omnemque pulchritudinem mundi transcendentes effectus, erant gratiæ ſanctificantis: quæ quod operabatur in anima, domonſtrabat exterius.

7. (x) S. Catharina Senenſis ſolebat eorum, qui ſe lucrandis Deo ho-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

minibus, pro concione impendebant veſtigia, ſi qua tranſeuntes vidiſſet, deoſculari, docta cœlitus, quanta eſſet animarum dignitas, quantum pretium, ut propterea putaret ſatis ſe honoris non poſſe impendere iis, qui animas ad Deum adducerent. Pulchritudinem autem, & dignitatem tantam ineſſe ajebat animæ à peccatis puræ, & gratia Divina exornatæ, ut nullus, qui eam modo videret, non libentiſſime pro ea tali ſtatu conſervanda, vitam daret.

(a) Conc. Trid. Seſſ. 7. Can. 7.
(b) Ibid. Seſſ. 6. c. 24.
(c) Lucæ 15. v. 24.
(d) Pſal. 50. v. 9.
(e) Eccl. 24. v. 21.
(f) Gen. 27. v. 27.
(g) Cant. 4. v. 1.
(h) Ibid. c. 6. v. 9.
(l) S. Greg. lib. Moral. 35. c. 33.
(k) S. Thom. lib. 2. q. 213. art. 9. ad 2.
(l) 2. Petri 2. v. 4.
(m) 1. Joan. 5. v. 16.

(n)

zkvh.org.rs

(n) Rom. 3 17.
(o) Lucæ 17. v. 21.
(p) Joan 14. v. 23.
(q) S. Basil. in Reg. Brev. Reg. 1.
(r) 2. Corinth. 11.
[s] Lib. 1. Dial. c 1.
[t] Serm. de Epiph.
(u) Surius die 15. oct. c. 15. Tom. 5.
(v) S Bon. in vita S. Francis.
(x) Surius in ejusdem vita.

CAPUT XII.

Dignitas Beatissimæ Virginis Dei Matris-Mariæ, modique cultûs, eidem exhibendi.

1. QUoniam proxime & Secundum Deum, nobis colenda est, observandaque, & in necessitatibus invocanda Magna Virgo DEI Mater Maria, idcirco visum est hic ad extremum hujus opusculi pauca, coronidis loco, addere. Ad demonstrandum quam merito illi, secundum Deum, cum æterna grati devotique animi memoria eximium

plane

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

plane cultum, honoremque debeamus ſingularem.

2, Si quos videmus præcipua, inter homines, dignitate fulgere, eisdem continuo præcipuum quoque honorem deferimus, jubente etiam Deo, rationeque & natura ſuadente, præſtandum eſſe; ſane negabit mihi nemo, quam maximum honorem debere ei quæ Dei Mater ſit, & cœli, terræque Regina, ac Domina. Qua ſuper re audire inprimis lubet SS. Patres, multa eleganter & ſubtiliter diſputantes.

3. (a) *Quid grandius*, inquit B. Cardinalis Petrus Damianus, *Virgine Maria, quæ magnitudinem ſummæ Divinitatis, intra ſui ventris clauſit arcanum? Attende Seraphim, & in illius ſuperioris naturæ ſupervola dignitatem, & videbis quidquid majus eſt, minus eſſe virgine, ſolumque opificem opus iſtud ſupergredi.* Et S. *Anſelmus*: (b) *Hoc ſolum quod Dei Mater eſt, excedit omnem altitudinem,*

quæ

quæ poſt DEUM dici vel cogitari poteſt. S. Bonaventura *aliquanto etiam plus dicit*: (c) *Majorem*, inquiens, *mundum poteſt facere Deus, majus cœlum, majorem Matrem, quam Matrem DEI, non poſſet facere Deus.* Siquidem adſtipulante Doctore Angelico, (d) infinitatem quandam iſta Matris dignitas complectitur, ex qua ſtatim neceſſaria conſecutione gratiarum quoque immenſitas quædam exiſtat: de qua ita (e) S. Sophronius, aſſentientibus quam plurimis aliis viris ſanctitate & doctrina præſtantiſſimis: *Cæteris per partes præſtatur, Mariæ autem ſe tota ſimul infudit gratiæ plenitudo.* Adeo quidem, ut quidquid in ſingulis Angelorum, hominumque fuerit, eritque gratiarum, id totum, & eo etiam amplius, in ſe complectatur Maria.

4. Unde & factum eſt, ut cum honorem dignitati per omnia congruere par ſit, eidem magnæ Divæ

is

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

is honor tribueretur, qui quemcun-
que alium, hominibus ſimul & An-
gelis tribui ſolitum, multis modis ſu-
peraret; Theologi eum honorem ſin
gulari nomine Hyperduliam dixe-
runt, eo refer, quod eleganter S
Bernardus in hæc verba: (f) *Angeli-
cam tranſiens dignitatem, uſque ad Sum-
mi Regis thronum es ſublimata, ubi po-
ſuit idem Rex filius tuus, quod ex te ſus-
cepit, ibi te poſuit Reginam, de qua illud
aſſumpſit. Neque enim fas eſt alibi te eſſe
quam ubi eſt id, quod à te genitum eſt.*

5, Audi & Ven, *Bloſium*, ita diſſe-
rentem: (g) Ad beatam Mariam Vir
ginem Deiparam frequenter te con-
verte, eam invoca, eam dilige, eam
lauda: Omnium enim præconiis dig
niſſima eſt, & quantumcunque præ-
dicetur, omnem commendationem
ſemper ſuperat. Eundem habet cum
Patre cœleſti filium: Deum in utero
ſuo Virgineo concepit, Deum pepe-
rit,

rit, Deum propriis uberibus lactavit, Deum gestavit in ulnis; & confovit gremio. Quid sublimius, quid magis honorificum, quam dici & esse Matrem Dei? Quid hac dignitate celsius? Quid admirabilius? Plane sic est: nihil sub Deo cogitari potest Divinius Dei matre.

6. Ut autem & modos, quibus Sanctissimæ DEI Genitrici Originalis cultus præstatur, breviter perstringamus, sequentia apponere placuit. (h) Invaluit mos apud Catholicos salutandi B. Virginem ad pulsum campanæ majoris, quæ desinente die triplici sonitu tunditur. Cujus devotionis initium tribuunt B. Bonaventuræ, ut qui coram Sixto IV. Pontif. perorans, petiit à Pontifice quatenus Religiosi S. Francisci movere possint populum, ut absolutis diei precibus, signo campanæ audito, Ave Matia omnes recitarent, persuasum enim plerisque sub vesperam

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

à Paranympho Gabriele ſalutationem cœleſtem accepiſſe. Atque hinc paſſim in omnibus Eccleſiis majoribus deſinente luce, ſignum editur Angelicæ ſalutationis rememorativum. (1) Verum Ludovicus Francorum Rex XI. non contentus veteri inſtituto veſperi Deiparam ſalutandi etiam hora meridiana id fieri volui publicæ pacis obtinendæ gratia, u *Guagninus* (k) ſcribit. Id primun fieri cœptum anno Domini 1472 prima Die Maji teſtatur *Genebr.* (l Porro etiam matutina luce in auro ra tandem campanæ ſigno omne excitati, ad eandem Virginem Salutandam, eaque conſuetudo nun apud Catholicos ſumma pietate ob ſervatur.

7. (m) De Mariano Roſario ali quid dicturus, primum nominis ip ſius cauſam, & originem proponan Roſarium proprie ſignificat ſertum ſeu coronam, qua virgines circui

tem-

empora cingi ſolent, ſponſæque a-
dornari. Ad hujus autem ſimilitu-
dinem formulam quandam orandi
per calculos, receptiſſimo apud Fide-
es vocabulo Roſarium dicimus, quod
nempe in ea certæ preces, videlicet
orationes Dominicæ, & Angelicæ ſa-
lutationes ob Myſteria quædam re-
petitæ, Virgini virginum offerantur,
tanquam egregium, & gratiſſimum
quoddam ſertum ſpiritualibus flo-
rum odoribus cumulatum, quod me-
rito coronam vocamus, eo quod in
circulum recitando abeat, redeatque
oratio, unde egreditur: Sive quod
tot granis conſtet, quot fuerunt anni
vitæ Beatiſſimæ Virginis ſcil: 93, vel
juxta nonnullos 72. Sunt, qui appel-
lent Pſalterium Marianum: Quod
integrum Roſarium conſiſtat ex 150.
ſalutationibus Angelicis, juxta nume-
rum Pſalmorum Davidicorum: vel
inſtrumenti muſici, quod Hebræi *Na-
balum*, Græci organum dicunt, in quo

ſunt

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ſunt 150. fiſtulæ, eoque olim decan
tari ſolitum volunt Pſalterium Davi
dicum. Imo figuratum fuiſſe hoc
Virginalis laudationis Canticum ali
cui videri poſſet per Cytharam, qua
David malum Spiritum à Saule ex
pulit: & per tympanum, quo Ma
ria Soror Moyſis poſt demerſum
Pharaonem, in gratiarum actionem
comitata aliis ſui ſexûs ſe effudit
Siquidem malignos ſpiritus non ſe
mel hac armatura repreſſos fuiſſe
certiſſimum eſt. Atque hac precan
di formula laudes & gratiarum præ
conia Virgini Deiparæ ob varia be
neficia humano generi collata defe
rimus, eamque Advocatam noſtram
in hac lacrymarum valle agnoſci
mus & profitemur.

8. Cum autem, & Litaniæ nomen
orationem ſeriam & ex imo corde
fuſam ſignificet, hinc pro invocan
do patrocinio B. Virginis inſtitutæ
ſunt etiam Lytaniæ, quarum uſus eſt

in

n Ædæ Lauretana: & vocantur Lau-
retanæ, hodieque per totum Orbem
pie & fructuoſe quotidie, aut reci-
antur, aut etiam decantantur. Rur-
us, officium ejusdem B. Virginis ve-
ut & devota, ac ſalutaris illa pre-
catio; *Salve Regina* in honorem
ejusdem, pio cordis affectu perſol-
runtur.

9. Jam vero mirabiles fuere ple-
rique Sanctorum in præſtando ſuo
Deiparæ Virgini cultu: Ex illis pau-
cos accipe: (n) B. Margarita Regis
Hungariæ filia, ſub Sancti Dominici
Diſciplina Sanctimonialis, Sanctiſſi-
nam Dei Matrem in ejus Imagine,
ubicunque ſe illi quæpiam offerebat,
Angelica ſalutatione de genibus ſo-
ita fuit conſalutare. Idem faciebat
ingulis eidem B. Virgini feſtis die-
bus, ac per totam octavam, quotidie
millies proſtrato ſemper humi cor-
pore. Nec pridie iſtorum dierum,
præter panis & aquæ paululum; ob-

ſonii

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

ſonii quidquam admittebat. Quoties autem in loco Capituli, ut vocant, ſequentis diei ſolemnitas promulgabatur, ipſa humi ſtrata, profuſis lacrymis Deo grates referebat.

10. *(o)* Quidam Religioſus ex Ordine Minorum, ex pia, & uſu jam longo corroborata conſuetudine, nihil omnino guſtabat ‹dulii, niſi prius B. Virginis coronam recitaſſet. Sed, ut natura oblivioſi ſumus, quodam die jam accubuerat menſæ, adhuc tamen jejunus, cum intermiſſæ conſuetudinis recordatur, angitur vir pius, & urgente in Virginem affectu, petit, & impetrat à ſuperiore veniam ſurgendi à menſa, & in templum ſe legendæ coronæ gratia illico conferendi. Jam pene perlegerat, cum is qui ad eum revocandum à ſuperiore miſſus fuerat, ipſe ſuis oculis contemplatur Deiparam fulgida in ſpecie, duo-

bus

bus comitatam Angelis, qui rosas pulcherrimas, â precantis ore excipiebant, easque capiti Reginæ suæ imponebant; sed & hoc inter cætera districte adnotavit, quotiescunque in fine Salutationis Angelicæ, Religiosus nomen Sacrosanctum JEsu pronuntiaret, non ipsum tantum, sed Angelos, & B. Virginem caput reverenter inclinasse.

II. (p) Aloysius Albanensis ex eodem Ordine Minorum Novitius, à Gabriele Anconitani Conventûs Guardiano, singulis diebus coronam, antequam ederet aliquid, recitare jussus, cum aliquando aliis occupatus, pensi sui immemor ad mensam veniret à Superiore interrogatus, & de oblivione increpitus, ad templum, ut debitum exolveret, missus est. Ibi bonus ille, flexis ante Aram maximam genibus,

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

coronam ſuam perſolvere inſtituit, quod dum facit, viſus eſt tum ab aliis, quos Superior obſervatum miſerat, tum ab ipſomet Superiore, qui ad rei miraculum commonitus accurrerat; viſus eſt, inquam, Angelus, orantis ſuperne capiti imminens, qui filo aureo roſas, liliaque, quæ de iſtius ore fluebant, ita inſerebat, ut poſt ſingulas decades, ſingula lilia ſuccederent, quæ deinde omnia in corollæ modum innexa, adoleſcentis capiti impoſuit, & avolavit. Et ne quis vanam hic aliquam phantaſiæ illuſionem interveniſſe crederet, mirus & perquam ſuavis ac bene diuturnus efflatus eſt ex eodem, ubi ille oraverat loco, roſarum, ac liliorum odor: Ipſeque adeo Novitius multis deinceps à Deipara favoribus cumulatus, ad mortem uſque in cœpta pietate perſeveravit.

zkvh.org.rs

(a) In Nativ. B. V.

(b) Lib de excell. Virg. c. 2.

(c) In Opusc. c. 1.

(d) S, Thom. 1. p. q 25. c. 6. ad 4.

(e) Serm. de assumpt.

(f) S. Bern. epist. 174.

(g) Pag. 15. c. 18. n. 1.

(h) Petr. Can. lib. 3. de Deip. c. 3.

(i) Genebr in Chron.

(k) Lib. 10. de gestis Franc.

(l) Theatr. Vitæ Hum. verbo S. Maria.

(m) Idem. ibid.

(n) Surius in vita 18. Jan.

(o) In Chron. FF. Min. 3. p. Lib. 1. c. 36. & 37.

(p) Ibid.

KNJIŽNICA FRANJEVAČKOG SAMOSTANA SUBOTICA

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

SEQUITUR.

Efficaciſſima Oratio, Narniæ in Italia ante Quinquaginta ſex annos impreſſa. Continens præcipuos Religionis actus.

CRedo, Domine, ſed credam firmius: Spero, Domine, ſed ſperem ſecuriùs: amo Domine, ſed amem ardentius: doleo Domine, ſed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium, deſidero ut finem ultimum, laudo ut benefactorem perpetuum, invoco ut defenſorem propitium.

Tua

Tua me ſapientia dirige, juſtitia contine, clementia ſolare, potentia protege.

Offero tibi, Deus meus, cogitanda ut ſint ad te, dicenda ut ſint de te, facienda ut ſint ſecundum te, ferenda ut ſint propter te.

Volo quidquid vis, volo quia vis, volo quomodo vis, volo quamdiu vis.

Oro, Domine, intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam ſanctifices.

Deſleam præteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitioſas propen-

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

penſiones, excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone DEUS, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam Superioribus obedire, inferioribus ſubvenire, amicis conſulere, inimicis parcere.

Vincam voluptatem auſteritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in conſiliis, conſtantem in periculis, patientem in adverſis, humilem in proſperis.

Fac

zkvh.org.rs

Fac, Domine, ſim in oratione attentus, in epulo ſobrius, in munere ſedulus, in propoſito firmus.

Curem habere innocentiam interiorem, modeſtiam exteriorem, converſationem exemplarem, vitam regularem.

Aſſidue invigilem naturæ domandæ, gratiæ fovendæ, legi ſervandæ, ſaluti promerendæ.

Diſcam à te quam tenue ſit quod terrenum, quam grande quod Divinum, quam breve quod temporaneum, quam durabile quod æternum,

Knjižnica franjevačkog
samostana u Subotici

Da mortem præveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, Paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

KNJIŽNICA FRANJEVAČKOG SAMOSTANA
SUBOTICA

zkvh.org.rs